VITA
ALBERTI III.
ANIMOSI, DVCIS SAXONIAE,

AVCTORE

MICHAËLE BOIEMO,

a mendis repurgata,

atque

de integro edita cum animadversionibus

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXIX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↄ Iↄc XCIIX.

ALBERTVS III. ANIMOSVS, DVX SAXONIAE, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, &C.

DIvinitus excitari viros magnos, qvi heroes ſunt, nemini eſt dubium: Excitari autem tum praecipue, cum imperia et regna fatiſcunt, atqve ruinam meditantur, ut laboranti Eccleſiae et Reipublicae, ſua virtute, qva inſtinctu qvodam divino, et peculiari ſpiritu armantur, opem ferant, adverſus turbatores contumaces pietatis, et morum atqve legum honeſtarum giganteos contemptores: qvo, his repreſſis, pax et diſciplina in genere humano conſervetur, et ſuus religioni conſtet honos atqve dignitas. Etſi autem, ne tales qvidem heroes, qvi ſemidei ſunt Poetis, et ſupra conditionem caeterorum mortalium videntur poſiti, a vitiis ſunt plane immunes: tamen qvia ſingularibus a DEO donis ſunt ornati, ſicut minores ſtellae a ſole obſcurantur, ita apud eos, qvi memores ſunt communis omnium ſortis et conditionis, vitia non omnino enormia, excuſationem merentur. Qvare nec dubitandum eſt, eo tempore excitatum divinitus Albertum, qvem huius nominis tertium faciunt in hac familia, ducem Saxoniae, qvo univerſa Germania, veluti incendio immani, longius in dies ſingulos ſerpente, flagrabat, et hoſtes potentiſſimi, nulloqve nec animi invicti, et ad omnes rerum

humanarum casus infracti, robore: nec felicitate et rei bellicae peritia inferiores, patriae nostrae imminebant, extremum ei allaturi exitium, nisi, Deo animos et successum largiente, hic heros suum hostibus corpus, pro aris et focis pugnando, obiecisset. Cum vero turpe sit ignorari nostratia; et ingrati animi, tantorum, et eorum qvidem, sub qvorum posteris, Dei beneficio adhuc florentibus, vivimus, meritorum memoriam abiicere, nec usu careat multiplici rerum ante actarum consideratio, digna visa est materia, in qva inqvisitionis nostrae diligentia versaretur. Itaqve cursum vitae huius Alberti tertii, non historica ratione commemorabimus, neqve enim nobis id sumimus, impares tanto oneri: sed breviter summa tantum rerum fastigia et capita decerpemus: etiam relinqventes in iis, qvibus interdum alii ab aliis dissentiunt, rectius sentienti iudicium.

ALBERTVS III. cui ANIMOSI nomen fuit ab invicti animi robore, et rerum, qvas gessit, pro dignitate Germaniae, et patriae suorumqve salute, magnitudine: a laudatissimis duabus Germaniae familiis originis prosapiam traxit. Etenim genus paternum a Saxoniae ducit principibus, qvorum et virtus militaris ante Caroli Magni aetatem, historiarum monumentis est celebrata, et in patriae libertate defendenda, cultuqve Deorum, vano tamen et idololatrico, animus excelsus. Fuit VVitichindus I. pronepos Sigardi regis Saxonum, ultimi huius familiae conditoris, Caroli Magni tempore, cum Saxonibus bellum gerentis, de religione ethnica abiicienda, in annum ferme trigesimum tertium dubio incertoqve Marte, variante se, ut solet, multoties fortuna, Regia autoritate et nomine. Mos enim erat gentis Saxonicae, in qva multae familiae nobilium, instar Baronum, seu Regulorum erant, ex iis eligere duodecim, qvibus rerum administrationi, iuriqve dicendo praefectis, tempore pacis summam rerum committebant, et hi qvidem non simul imperitabant aeqvata

potesta-

potestate, sed per orbem ibat ea dignitas: qvamvis sunt, qvi uni ex his primario, totius Reipublicae curam commissam scribant. Qvod si vel a seditiosis civibus, domesticisqve dissensionibus vererentur, ne qvid detrimenti Respublica caperet: vel aliunde a regibus, populisve vicinis bellum moveretur, qvi tum cum imperio erat, dux is exercitus et rex appellabatur. Ita Ditericus avus VVitichindi, et Sigardus proavus regium nomen gessere, Angrivariorum Dynastae, bello contra Francos. Hos seqvutus VVitichindus, postqvam aliqvoties cum Carolo conflixisset, se viribus huic imparem cernens, et de religione Christiana amplectenda agi intelligens, sacro ablutus baptismi lavacro est, spondente ipso Carolo, a Bonifacio Episcopo Moguntino, Mittebachii Anno 785. VVitichindum, qvi in fide persistens dux Saxoniae, Angrivariae et VVestvvaliae creatus est, longo intervallo, nam interiectus est VVitichindi iunioris filius, Ditgremus, et qvi ademptam patri Saxoniam recepit, Ditmarus: hinc Ditericus I. Dedo, et Ditericus II. secutus est Thimo, Marchio Landsbergi et Misniae, qvi ab Imperatore Henrico V. MXCI. Ecberti II. Marchionis Misniae ditionem accepit propter virtutem, sed non accepit insignia morte praeventus. Ab huius nepote, Conradi filio Othone, Freibergi et Lipsiae conditore, Albertus et Ditericus propagantur, qvorum ille sine prole mascula defunctus est. Ditericus filium habuit Henricum, primum Landgravium Thuringiae, de arbore illa, ex foliis partim aureis, partim argenteis nobilem. Seqvitur Albertus degener filius, qvi Fridericum ab admorsa gena cognominatum, Ditzmanumqve exuere ditione conatus, pauperrime periit, florentibus filiis, praecipue Friderico, qvi, fratre Lipsiae ad Divum Thomam, scelere Philippi Nassoviensis immissis inter sacra nocturna sicariis caeso, multis tandem bellis feliciter confectis adversus Rodolphum, Albertum, Adolphum Imperatores Romanos placida in pace gubernavit, filiumqve ex Elisabetha, Comitissa Arnshaugiana, suscepit Fri-

dericum Gravem designatum regem Romanorum a morte Ludovici contra Carolum IIII. Is Fridericum Strenuum cognomine, qvi latrocinia compescuit, filium, nepotem verò habuit Fridericum primum Bellicosum auctum dignitate Electoris, nobilem ab excepta Academia Pragensi, 1409. Elector secundus in hac familia filius fuit Friderici, Fridericus nominatus Pacificus, is qvi, cum fratre VVilhelmo bellum gessit, Vicethumis belli intestini tubam inflantibus. In huius filiis Ernesto et Alberto sangvinis prosapia scinditur: Ernesto natu maiori, dignitas mansit Electoratus, qvae propagata in filios Fridericum III. Sapientem est, et, hoc mortuo, in Ioannem: hinc in nepotem ex Ioanne, Ioannem Fridericum, qvo capto ad Mulbergum ad Albim Anno 1547. 24. Aprilis collata est ea dignitas septemvirorum creandis Imperatoribus Romanis, Mauricio, Henrici filio, Alberti nepoti: qvo anno 1553. XI. Iulii oppetente devolvitur ad Illustrissimum fratrem Augustum. Haec origo Alberti paterna est annorum fere 800. inde usqve repetendo, qvo Sigardus VVitichindi proavus, regio imperio, Saxonum bella administravit. Materna prosapia est Austriaca, qvae Imperium Romanum feliciter gubernavit annos trecentos duodecim, praefueruntqve post Rodolphum Habenspurgium, ex hac familia Albertus I. Fridericus electus rex Romanus, contra Ludovicum Bavarum, Albertus II. Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus, Maximilianus II. Rodolphus II. Ex Margaretha autem Friderici III. Imperatoris sorore, Ernesti Ferrei, qvi qvartus fuit Leopoldi filius, filia, patre Friderico Placido Electore, natus est Grimae ad Muldam, Anno 1443. die Divae Annae 27. Iulii, sive, ut est in annotationibus antiqvioribus civium nostrorum, die, qvi inscribitur in fastis Vincula Petri: cum anno superiore exeunte V. Calendas Ianuarii, avia eius Catharina, Henrici ducis Brunsvigii filia, in eodem oppido esset mortua. In prima vero aetate atqve adeo ipsius pueritiae annis declaratum est, servatos hos fratres Er-

nestum

nestum et Albertum fato qvodam propitio ad opera maiora, et regi divinitus fortunam, et cursum praestantium virorum. Nam abducti clam ex arce Aldenburgia, mirabili modo sunt restituti.

Plagium. Agebat Ernestus aetatis annum XIII. (siqvidem natus 1441. Rochlicii 8. Calendas Aprilis, hora 9. vel Misenae) Albertus XI. cum a Conrado Kaufungo rapti sunt. Captaverat is occasionem et opportunitatem ulciscendi iniuriam, qvod compensationem damnorum, Electoris causa factorum, et stipendia bellica sibi negari, indigne ferret. Absente igitur Principe, Svalbio coco momenta plagii patrandi et rei gerendae explorante, qvi in hunc finem dies qvatuordecim ante se ministrum obtulerat, die, qvi Divum Chilianum antecedebat intra 11. et 12. noctu, in arcem Aldenburgicam Plissae flumini imminentem intromittitur, socio VVilhelmo a Mosen, et VVilhelmo a Schoenfels, et dispositis ad facinus eqvis triginta duobus, et octo aliis complicibus: aut eqvis 35. ut alii, sociis decem conclave cubiculi intrat, in qvo dormiebant principes, praeceptor, morum magister: his minatur mortem, si se prodant: illos abducit, sola indutos interula, et funibus de fenestris demissos non longe a culina. Sunt qvi demissos negant, ideo qvod ita tacite a coco proditore et Schveinitio exploratore cognita fuerint omnia occasionis momenta, magistris scilicet morum, ita ut fit, domini ubi absunt, convivio occupatis. Narrantur haec paulo aliter a nonnullis. Fuisse cum principibus nobilium aliqvot et Comitum liberos, eosqve ut in aulis Magnatum fieri consvevit, una educatos, et institutos, principibus ministrasse, interqve hos, solos tum relictos, deprehensum a socio Comitem de Barby, Guntheri, eius qvi dissidia composuit inter Magdeburgum et Luneburgum, filium qvo errore animadverso, Conradus tradidit Ernestum custodiae socii, nam ipse hunc ducebat, et in cubiculum ingressus Albertum abducit, restituto comite, eum eqvo suo imponit, arce

arce educit, omnia tuta circunſpicientibus exploratoribus. Mater principum recognita ex tumultu, de feneſtra vociferatur, ploratuqve cum ipſa, tum virgines aulicae, totam arcem replent: qverulis clamoribus commoventur oppidani, ſed qvia nox erat iam concubia, nec ſperari tale qvid poterat: Plagiariorum alius alio abierat, ex compoſito, ne unam eandemqve viam ingrederentur, neve alter deprehenſus, altero qvid inſcio paſciſceretur. Aulicorum qvidam Plagiarii facinus ſceleſtum execrabantur: qvidam diras iaciebant in eos, qvos Elector ſobolis ſuae cuſtodiae praefecerat: facinoroſorum audaciam alii demirari, alii diſcurrere trepidi metu, alii portas obſervare, ne elaberentur improbi. Sed evaſerant. Contendebat Conradus in Boemiam cum Alberto et miniſtro uno, veneratqve prope Elterlinium, per loca invia, ſentibusqve et dumis plena: iamqve appetente meridie, laſſus vigiliis et concuſſione, agitatione, itinere puer famem qveritur: divertit Conradus ad Carbonarium, cui duo erant ſervi, in ſylva habitantem, caſula exiguā, petit ſibi pro iuſto precio, vel vendi cereviſiam et cibum, vel e proximo oppidulo afferri. Qvaerit Carbonarius, qvo tendat, unde, qvem puerum ducat: ille ſe fugitivum reducere ait, ſuum famulum neqvam. Verum longe aliter ſuſpicabatur Carbonarius, vultum, indicium tectae nobilitatis, intuitus, qvi plenus tum qvoqve vigoris erat, qvanqvam in extremo fere periculo et metu maximo: qvare generoſa ſtirpe ſatum exiſtimabat, diſſimulanter tamen ſuam operam Conrado promittit, panem aceroſum non negat. Puer princeps, non attendente Conrado, in aurem Carbonario inſuſurrat, eſſe ſe Friderici Electoris filium, clamqve raptum. Audito, Principis eſſe filium, eqvi frenum arcte retinet, uxor ſecurim percutit, auxilium vicinorum invocat, ſigno ipſis notiſſimo, ſi qvid enim tumultus eſt, aere percuſſo mutuam opem invicem ferunt. Accurrunt gregatim Carbonarii, eqvo deiectum, inqve dumis haerentem calcaribus capiunt. Eius

mini-

minister minime tali casu territus, vel facinus magnum et memorabile audendum sibi intelligens, vel pereundum, evaginato gladio Principem impetit: at hic ictum vitat, ille aufugit. Datum fuerat signum in oppidis et agris, ut inqvirerentur et investigarentur Principes: undiqve ex obviis qvaeritur, vidissentne praetervectos curru aut eqvo pueros: in Carbonarios incidunt, trahentes vinctum Conradum, et, nisi vetuisset Princeps, vim mortemqve intentantes. Ductus Friburgum in Curia asservatur die lunae, seqvente diem Margarethae, tertio die supplicio capitis afficitur in foro, sepeliturqve satis honorifice in coemeterio templi Petrini. Indignatus Elector pater est et VVilhelmus patruus: qvarto igitur die effossus mandato VVilhelmi, sub patibulo tale scelus sepeliendum asserentis, in pago Neukirch, duobus distante milliaribus a Fribergo, in agro tumulatur.

VVilhelmus a Mosen alio itinere profectus eo consilio, ut, si alter caperetur, alter evaderet, animo desperabundo, in tertium usqve diem, in silvis erraverat, sine ullo alio cibo, praeter fraga et radices, aqvamqve palustrem. Desperans igitur de fuga, et ex sono campanarum, socium captum coniectans, si, inqvit, princeps, certus essem de vita et salute mea, et si Conrado ab Electore sancte promissi numerentur florini 1714. tot enim florinos sexcentae sexagenae, in observationibus civium nostrorum notatae efficiunt, salvum te incolumemqve restituerem. Promittit incolumitatem princeps. Mosenus ad Fridericum Schonburgium praefectum Zviccaviae scribit, Ernestum se redditurum, si caveatur de vita. Qva impetrata in arce Hartensteina Ernestum sistit, non procul a VVolkensteino, oppido uno milliari a Mariaebergo, qvae arx tum principis erat, nunc eam tenet familia nobilis Einsideliorum: princeps Moseno refecto, eqvum dat optimum, iubetqve ditione paterna excedere, neqve ullo unqvam tempore

reverti. Ceteri facinoris conscii poenas dedere qvatuor, interqve hos Schvveinitius suspensus, Conradus Schvalbius proditor in qvatuor partes dissectus: Conradi frater Ditericus, qvi nido relicto vultures sublatos dixerat, capite est truncatus, cuius ministro Francisco gula fracta est laqveo. Vestes Principum Ebersdorffii iuxta Chemnicium (ab Imperatore Lothario Saxone conditum, unde Caesareum nuncupatur) suspensae sunt Divae semper virgini Mariae.

Carbonarius iussus petere, qvicqvid vellet, tantum lignorum postulavit, qvantum ad se alendum, ex carbonibus vendendis, suppeteret: restitutus vero Albertus die secundo est, ex qvo fuerat raptus, Ernestus autem qvarto: de his cum aliorum extent narrationes uberiores, breviores hic sumus.

Insignia Ernesto et Alberto collata ab Imp.

Patre Friderico rebus humanis exempto, qvi obierat 1464. VII. Idus Septembris, fidem daturi Friderico Imperatori, et ornandi insignibus provinciarum, qvas iure hereditario adibant, Viennam profecti sunt fratres, Anno 1466. hinc Neustadium, acceptiqve qvam humanissime ab avunculo, qvi indole utriusqve diversis qvidem studiis dedita, neutra tamen a laudabilibus actionibus abhorrente: siqvidem natu maior qviete et toga delectabatur, alter armorum strepitu, animadversa, eos complexus blandissime est. Estqve ornatus dignitate Electorali Ernestus tertius ex hac familia: Albertus ducum Saxoniae titulum consecutus. Albertus in aula avunculi haesisse aliqvandiu scribitur, ferme biennium, cum interea Ernestus

Bellum Plauense.

Plauensem Regulum oppugnat prodigum, et nobilitati per uxorem e familia Bunana, molestum, et in subditos iniuriosum, omniaqve sana consilia, omnes qverimonias spernentem: Apros vastat in exeunte hieme, paulo ante Pascha: Plauam, a qva nomen Regulus habebat, et arcem capit, imposito praesidio: Olsnicium et Adorffum occupat deditione: sui iuris facit Voitburgam, non a Druso Romano, ut fabulantur, non enim

solidi

solidi qvicqvam Imperii Romani tenuere in his terris, sed a terra, in qva sita est, qvam terram advocatorum et Praetorianam nominarunt, appellatam. Qvedlinburgum urbs est ad Hercyniam, veterum Ducum Saxoniae sedes: extructa ab Henrico Aucupe, consummata ab Henrico III. et ab eodem Aucupe institutum Collegium virginum, summa sacerdote facta filia Mathilde, cuius Ecclesia Divo Servatio dicata est: in qva urbe se qvoqve sepeliri voluit, ante altare in Divi Petri. In hac igitur Hedvigis, Ernesti Electoris et Alberti Saxoniae ducum sororis, imperium recusabant cives, contempta auctoritate muliebri. Qvare indignati Principes, ad tutandam sororem, arma cepere, urbemqve captam militum furori dederunt diripiendam, Anno 1477. qvae misere vastata est, et Rolandus eversus. Fuit autem ea statua ingentis magnitudinis, libertatis signum a Rolando nominata, Comite Blavii, qvi fuit Milonis ducis Andegaviensis, interfecti a Saracenis, e Bertha Caroli M. sorore filius, cui in tertio Caroli M. cum Saracenis conflictu in Pyrenaeis montibus vel trucidato, ut qvidam scribunt, vel siti suffocato, Anno 778. secundum qvosdam, secundum alios 812. statuae passim in Saxonia et huic finitimis terris collocatae sunt, Halis Saxonum, Belgrae uno supra Torgam ad Albim milliari, in pago qvodam Reichenvvaldo, non longe a Luca Lusatiae (nam et alia Lucca est Osterlandiae, ad qvam caesi Svevi a Friderico Forti) Arenburgi. Hoc bello sopito, ortum est aliud anno ab hoc proximo, videlicet 1478. contra Halenses, qvi Episcopo suo Ernesti filio parum obseqventes, et ditioribus, ut fit, a qvibus se despici putabant, infensi, malum sibi et servitutem attrahebant: ita enim comparatum est, ut potentiores premendo tenuiores invidiam pariant sibi: tenuiores ditioribus se esse contemptui rentur. Originem autem sumpsit dissidium Halensium ex hac causa, et ex hoc fonte promanavit. Consvevit opum affluentia gignere luxum: lu-

Bellum Qvedlinburgense.

Bellum Halense.

xus iniustitiam: utrumqve ὕβριν adversus inferiores. Cum itaqve et opibus praestarent ceteris proprietarii in salinis, qvi otiose vivendo se efferunt, genus hominum e luxu ignavo ad insolentiam pronum, et qvi Reipublicae praeerant, non communi commodo et plebis, sed suae servirent utilitati: primum simultas latenter orta est, inde voces auditae iracundae, ad extremum in tumultum non levem abiit contentio. Maluerunt autem alere seditionem opulentiores, et igni oleum addere, qvam cedendo paululum furori plebis, se arguere victos aut iniustos: Plebs obstinate propositum urgebat, improba pervicacia, vel se assertura in statum liberiorem, vel peritura communi incendio, sunt enim qvi non renuunt iacturam suarum rerum, modo ii, qvibus invident, immunes ne sint. Genus hominum ἐπιχαιρέκακον, et non tam aliis, qvam sibi exitiale. Itaqve Saxoniae Principes neutiqvam dubitabant, dissidentibus ita inter se urbis incolis, qvin ab alterutra parte essent recipiendi: et usi occasione commodissime oblata, urbem ex improviso obsidebant. Suspectam primum altera pars alteram habebat, qvod in auxilium principes vocasset: ideoqve se invicem accusare probrose. Qvare fuit effectum, ut exulceratis et inflammatis animis, utrinqve neutris cedentibus, molesta non esset plebi amplius obsidio. Nam et facilem, de qvibus periclitarentur, iacturam putabant, per se satis inopes: et conditione si non meliore, saltem non multum deteriore se victuros sperabant: futuri scilicet sub aeqviori principum imperio, qvi ante inexplebili plurimorum libidini serviissent. Hoc pacto pronae ad tumultum urbis libertati modus et frenum est iniectum, coniectis in vincula primoribus, et ampla pecunia circa diem 22. Septembris mulctatis: magna salinarum parte adempta urbi, et conversa in usum Ecclesiae atqve Clericorum: promulgato decreto, ne propria qvisqvam auctoritate Salinarum sibi possessionem vendicaret, sed ab Episcopo pe-

po pe-

po peteret, et arce extructa, qvae insolescentem civium licentiam cohiberet.

Bellum Halberstadiense

Repressa eadem opportunitate licentia est Halberstadiensium, qvi genio qvodam sinistro, Anno 1486. oestro perciti, rationem sibi reddi postulabant administratae Reipublicae, cui parum bona fide senatus praefuisset: nihil proficientes aeqvis postulationibus, arma ceperunt. Saevientibus in se mutua clade civibus, Ernestus Elector, Ernesti antistitis pater, rerum filii satagens, et Thuringicis copiis armatus, paulo post Divi Jacobi, ad urbem distractam seditione intestina, et, qvod plurimum momenti afferebat, ceteris urbibus Saxonicis invisam, qvod cum his foedus renuisset: et deniqve a magna Clericorum parte desertam, qvibus religio erat, adversari Archiepiscopo, castra metatur, moenia et turres ictu bombardarum demolitur, deditionemqve ab urbe omni subsidio destituta, et vim potentis hostis metuente, extorqvet. Intercluserat enim exitum, ut nec agri colerentur, nec commeatus importaretur, qvi esset sustinendae obsidioni, nec negotia foris contraherentur. Tempore huius obsidionis mortuus est Ernestus Elector, datusqve curator filiis Sigismundus comes Glichensis, de voluntate et testamento patris: qva ex re extremum veriti periculum, satius duxerunt fortunis incolumibus, imperio se subiicere, qvam iram victoris, et vitae rerumqve periculum praesens adire. Praetextum vero et belli πρόφασιν habebant Principes, qvod iudicia, sibi oppignerata ab Episcopo, nollent redimi cives, ne qvidem admoniti, et praefecturam in urbis parte Episcopi propriam, sibi retinerent. Eam itaqve iniuriam armis vindicandam putabant principes, ut iudiciorum ius liberum reservaretur Episcopo, translatum ad ipsum, pristinum et legitimum Dominum: qvi gubernationem civitatis penes se esse voluit, scabinosqve et iudices, qvi iuri dicundo praeessent, suo constituit arbitrio. Atqve hac ratione pri-

mum subactum est Qvedelburgum, adversari ausum summae Sacerdoti: et Halenses atqve Halberstadenses parum caute tumultuantes, Ernesto, Archiepiscopo Magdeburgensi ex Capituli postulatione, et, qvia ante legitimos annos, scilicet aetatis XII. fiebat, dispensatione pontificia Joanni Bavaro surrogato, parere sunt coacti. His ita expositis, progredimur ad alia.

Haerebat alta mente reposita Alberti Degeneris iniuria erga coniugem, Imperatoris Friderici filiam, qvam primum veneno, post manu per agasonem de vita tollere machinabatur. Erat infixum animo nepotum admissum scelus in Fridericum et Ditzmannum filios, qvos fascinatus amore Cunegundis Isenbergiae et Apicii, furtivo ex hoc concubitu concepti, exuto omni affectu paterno, qvavis fera immanior, Albertus omni ditione et spe successionis privare meditabatur, primum vendendo universas terras Imperatori: deinde, cum id non succederet, transferendo titulum emptionis cum ad alios, tum ad Erfurdienses, postremo largitione, qva exhaustus tandem in miserrima paupertate consenuit. Duces itaqve Saxoniae, ad qvos devoluta fuerat, iure hereditario Thuringia, memores iniustae venditionis, in praeiudicium heredum legitimorum factae, praedia, pagos, arces, qvas praetextu contractus sui iuris fecerant, restitui sibi ab Erfurdiensibus postulabant. Et qvidem agitata eadem fuerat controversia vivente adhuc Friderico forti, qvi restitutionem urgens, cum nihil aeqvi impetraret, euntibus ad cognitionem causae, et ad actionem civilem Erfurdiensibus cum armis et gladiis, et arcem evertentibus, impar primo die militum numero, retro fert pedem: secundo autem instructior, non rem geri gladio iubet, sed fustibus hostes abigi: tum multis cladibus fracti, pro pagis et sumptibus pecuniae vim haud parvam principi solverunt, renunciantes iuri suo, et iurisdictione cesserunt Alberto nondum mortuo. Ilias haec fuit simultatum tristissimarum et malo-

malorum non levium: eoqve res rediit, ut utraqve pars opportunitati intenta esset, haec qvidem, qva, titulo non satis bono acqvisita retinerentur, illa, ut maioribus iniuste erepta, recuperarentur: egeruntqve summo id studio, ut, si palam et aperte non possent, alii aliis clam saltem incommodarent: Principes sua repetendo, Erfurdienses molestias sibi illatas rependendo. Hinc praeter alia, qvibus aegre facturos se Marchionibus Misniae, sperabant, iugum metuentes, moliti sunt impedire, ne Albertus alter Ernesti Electoris filius, Diterico Isenbergio, dignitati Episcopi 1478. se abdicanti, surrogaretur. Evicere tamen Duces Saxoniae, et Alberto Isfeldiam conciliarunt, et impetrarunt eidem Erfurdiae domum, una cum reditibus, de rebus importandis et exportandis. Tum Erfurdienses sui esse iuris arcem, asserere, in qvorum extructa esset territorio, nec possedisse qvicqvam olim Episcopum Erfurdiae, praeter tabernam publicanorum: arcem vero Hohenhemii sibi non debere esse fraudi, qvi Archiepiscopo locum aedificandi permisissent. Iniqvissime id tulerunt principes, sed veriti sunt tentare qvicqvam, propter VVilhelmum patruum, sub cuius patrocinio Erfurdienses erant. Nihilominus Erfurdienses, translatis in urbem virginibus sacris ex monte Divi Cyriaci, aliud monasterium condiderunt ad Andream, hoc in arcem converso, et moenia munierunt. Erupit haec simultas, qvam vel metu, vel reverentia VVilhelmi, sub cuius tutela urbs erat, dissimularant: hoc peste mortuo triennio post, id est, anno octogesimo secundo, sine prole mascula, et in templo VVimarinensi, qvod fundatum dedicarat, humato: tum enim Ernestus et Albertus fratres, anno eodem defuncto Diterico Isenbergio, cum possessionem Archiepiscopatus filio Alberto solidam efficere tentarunt, tum iura pagosqve Erfurdienses poposcerunt, numero non paucos, reddendos Episcopo, videlicet, qvos emptione, in posteros iniuriosa, ab Alberto

maio-

maiores compararant. Eadem de causa Fridericus et Ioannes 1491. Ernesti filii, hieme saevissima, interdixerunt Erfurdiensibus ligno et carbonibus, et extorserunt pagos, et pecunia eos emunxerunt. Aliqvoties initis rationibus, qvibus contentio dirimeretur per arbitros et colloqvia, re infecta discessum est, eoqve adducta res, ut Comes Glichensis, qvi et ipse qvoqve offensus ab Erfurdiensibus fuerat, cum suo, tum principum nomine iter civibus intercluderet, eoqve adigeret, ut et praediis nonnullis cederent, et totum biennium magnam vim pecuniae penderent, atqve hac ratione in tutelam et patrocinium principum reciperentur. Erant hae reliqviae simultatum a Cunegundi Isenbergia.

Anno 73. Treviri ab Imperatore Friderico III. Carolus Burgundus, Rex Galliae Belgicae et Burgundiae inaugurari se volebat, eo fine, ut qvasi vicarius Imperii vel in ordinem redigeret rebelles, vel sub iugum mitteret, qvi ad Imperium pertinentes olim, se huic exemissent. Imperator, vir sapiens et callidus, qvod aperte negare non audebat, noverat enim acre et insolens ingenium Caroli, partim ad principes Imperii reiicit, partim arte eludit. Iubebat publice terrarum insignia efferri, qvarum diei Dominus vellet, ut fieri consvevit, Carolus suspendit insignia Austriaca, qvod iam in annum qvintum haberet oppigneratum a Sigismundo Austriaco Brisgoium, Sundgovium, Elsatiam, non qvod obaeratus esset Sigismundus, sed qvia alterius periculo pervicaciam subditorum subigere putabat tutissimum, postea tamen invito Carolo redemit, deposito pretio apud Senatum urbis Basileensis. Imperator turpe sibi et ignominiosum existimans, suae domus et familiae ingenia conferre extraneo, et offensus fastu et splendore Caroli plus qvam Persico, et arrogantia cum in oratione, tum in gestu, et postulatis eiusdem, ut in foedere comprehenderetur, Mathias amicus Caroli, hostis Imperatoris, iratus abiit. Insolens

lens ignominiae Carolus, arma movet, vel ut metu ab Imperatore extorqveret nomen et coronam regiam, vel ut, si successisset, Imperatori deturbato, subrogaretur et succederet cum iniuria hac irritatus, tum a Ruperto Episcopo Coloniensi dignitate exûto Ecclesiastica, vocatus, Nussiam anno 74. obsidet, menses undecim, et arctissime premit confoederatam urbem, qvatuor milliaribus infra Coloniam praefecturae nomine obnoxiam imperio. Imperator etsi differendum non rebatur, ne suos deserere videretur, tamen omnia prius humanitate experiri qvam armis voluit: itaqve qvia ingens exarsurum bellum pro sua prudentia non male intelligebat: legatione missa periculum avertere tentabat, sed inanem operam ludebat. Comparatis igitur ingentibus copiis, castra qvam proxime iuxta Burgundum locat, Anno 75. Erant in exercitu 80000. principes plurimi: inter qvos Albertus Saxo eminebat, vexillo praefectus Decumano, seu Labaro. Acie utrinqve constituta, et ardentibus ad praelium animis, Marchio castra circumiens, ne qvis se commoveat, edicit, sub poena capitali, severitate Dictatoria. Albertus animi generosi et ad arma nati, vindicaturus Imperatori illatam iniuriam, urget praelium, acerrime confligitur ab eo tempore, qvo sol declivis ad occasum tendit, in multam usqve noctem. Etsi alii pugnatum negant, alii pugnatum qvidem, sed contra ducis summi imperium, et praelium mox diremptum et tanta animorum contentione, ut, qvemadmodum apud Romanos res redibat ad triarios, ita Albertus elato signo Imperatorio, hostium ordines turbaverit, donec nox intercedens praelium dirimeret. Die seqvente Cardinalis legatus Apostolicus ab armis discedere iubet, pace proclamata, adiuvantibus proceribus Belgicis, qvorum opera ad colloqvium Imperatoris Carolus venerat. Conditiones pacis publicatae non sunt, nec Imperator, nec Albertus Brandenburgicus usqvam conspecti fuere, qvoties manu

res fuit decernenda: unde putatur collusisse cum Imperatore Carolus, qvod subseqvens matrimonium inito foedere prid. Cal. Iunii, anno 75. inter Maximilianum imperatoris filium, et Mariam Caroli filiam comprobavit. Sunt qvi delibutum Imperatorem scribunt duabus tonnis auri. Carolus foedere facto in Belgas discessit, Maximilianus Mariam filiam Caroli et Ducatum Burgundicum sibi vendicavit.

Obsidio Elbogana. Elboga oppidum est adiacens montibus, qvi ab Austro Sudetes appellantur, et distingvunt Misniam a Boiemia: situm in peninsula fluvii Egrae. Tenebat hoc Casparus Slicco Mathiae filius: eratqve sub patrocinio Alberti Saxonis. Cuius cives cum facti rebelles essent Slicconi, ad reprimendam insolescentem eorum contumaciam, Albertus in auxilium vocatus est, arte illos aggressurus potius, qvam armis, ut si fieri posset, sine caede et sangvine eos in ordinem redigeret. Igitur praemissis cum eqvitibus, tum peditibus qvoqve, qvi sub praetextu longioris itineris eo diverterent, ut admoto ad moenia exercitu, cives vehementius terrerentur, et ad deditionem adigerentur. Sed res longe aliter cecidit: proditis enim a cive insidiis, et suspectis armatis propter moram diuturniorem ad Plauensem subsidia petitum mittunt. Hoc ubi non successit, urbem, lustrato aditu, obsidet, et diebus non paucis, tormentis eam immissis oppugnat. Oppidani cum per se feroces, tum Plauensis freti auxiliis, egregie et acriter se defendunt, non exiguum numerum tam nobilium, qvam militum manipularium, deniqve satellitum ad ipsius principis latus, globis saxeis interimunt. Tandem ab omni parte intercluso aditu, et commeatu destituti deditionem faciunt, ne vim irati victoris, qvod suspicabantur, experirentur, sibiqve ipsi essent exitio: atqve tum qvidem urbis possessionem retinuit Slicco, patrocinium vero Albertus, anno 1471. qvo etiam est exusta, die Dominica, qvae in fastis inscribitur Iudica.

Fuit

Fuit annis superioribus consvetudo, accedendi religionis ergo Palaestinam, et sepulchrum Domini, magno cum vitae discrimine: qvod, ut nihil vehementius animos, mentesqve humanas commovet, et praestringit, qvam religionis praetextus, etiam cuiusvis, polliceretur pontificum et monachorum gens profligatissima adeuntibus eas terras, vel multorum annorum veniam vel immunitatem ab omnium peccatorum criminibus universalem. Qvemadmodum autem gentis Saxonicae ex eo tempore, qvo Caroli Magni bellis et auspiciis, religionem Christianam fuit amplexa, in eadem retinenda, et etiam defendenda, ardor fuit constantissimus, id qvod tempus Henrici IV. inprimis ostendit, et secula posteriora: ita Albertus partim laudatissimorum maiorum vestigia atqve exempla secutus, ut Ludovici V. Landgravii Thuringiae, qvi iturus in Palaestinam, mortuus est in Apulia: VVilhelmi patrui Landgravii Thuringiae, qvi idem iter suscepit multorum Comitum et Nobilium comitatu, anno 1461. et reversus ex eo itinere periculoso, praesentationis Mariae festum, Papa id sua auctoritate confirmante, publice ut in Ecclesia celebraretur obtinuit: atqve etiam religione tactus, monasticam decrevit vitam agere: qvod cum ex ore ipsius audivisset, is qvi hoc scribit (nam fragmentum solummodo vidi) ne faceret dissvasit, multos enim viros sanctos Deo placuisse, qvi et bella et magistratus gessissent, partim pietate in Deum non ficta Palaestinam accessit anno Christi M. CCCC. LXXVI. Dresdaqve discessit III. Non. Martii, iter faciens per Misniam, et deducente officii gratia Ernesto Electore fratre VVimariam usqve, excepti fuerunt humanissime ab VVilhelmo, et habiti liberalissime. Visum tamen fuit etiam deflectere inter eundum, ad sinistram Aldenburgum ad matrem, qvam urbem illa amabat prae ceteris, loci amoenitate capta. Apud VVilhelmum morati VI. Idus Martii, multa familiariter locuti sunt: Albertus qvidem

Iter sacrum Alberti.

tum pro Bernhardi, tum aliorum animabus, qvi in hac navigatione dura et difficili e vita migrarunt, de consvetudine et opinione illius temporis.

Ioannes Mergenthal, qvaestor Alberti aerarius, is scilicet, e cuius itinere religioso, nostro proposito inservientia huc transtulimus. Praeter hos Otho a Schidingen, eqvitum auratorum dignitate conspicuus, cuius inter sanctam terram et insulam Cyprum, cadaver in mare proiectum est in reditu. Fuit in hoc comitatu Henricus a Mellerstad, iuris utriusqve Doctor: Valentinus Schmidebergius Medicus: Henricus a Starschedel: Henricus Pflugius Zebiccerensis: Georgius a Miltitz: Rodolphus a Bunau: Gerhardus Marschalg: Ditericus Schleinicius: Ioannes Mingvicius: Henricus et Heyda ab Erdmansdorff: Ioannes a Bernstein: VValcigi filius, VVigoldi frater, Henrici nepos, qvi morte interceptus est prope ab insula Cypro, cum e Palaestina reverterentur: Ianus Hugnicius: Otho Pflugius ex eorum familia, qvorum sedes Strelae est, ad Albim, qvae distat aeqvo a Misnia et Torga intervallo: Henricus Loserus natu minor, nam et natu erat tum grandior, cuius mentio fit in literis scriptis 1485. de qvodam contractu inter ipsum et senatum Torgensem: Henricus et Ioannes Malticii: Georgius a Cocceritz; qvae familia qvondam VVelae habitavit ad Albim, dimidio supro Pirnam milliario: verum ea arx nunc plane diruta est, vix apparentibus ruderibus. Henricus et Godschalcus ab Embden: Conradus ab Ammendorff, in navi haud longe a Rhodo fato functus, et in insula sepultus. Ditericus Freibergius: Godschalcus et Ioannes a VVoldorff: Ioannes a Planitz, qvi et ipse in reditu mortuus est: Balthasar Greusingius: Ditericus Zigelheimius: Fridericus a Trotavv: Casparus Sack: Henricus a Feilsch: Ditericus a Stonzsch: Caspar a Rechenberg:

 is

is cum vix in aditu Alpium accessit Oenipontem, morbo implicitus, moritur.

In Comitatu principis Hennebergii praecipui nominis et existimationis fuit Eberhardus a Brandenstein, relictis in insula Corcyra, iam perlustratis sanctae terrae locis religiosis: Georgius Marschalg: Ioannes Caspar a Levvenberg: Ioannes Frindsbergius: Ludovicus ab Halsperg: Sifridus Steinius: Caspar a Festenberg. VVilhelmus a VVolffstein.

Nec praetereundi fortassis sunt alii, qvi etsi non omnes stirpe fuerunt nobiles et insignibus, aut aetate atqve dignitate clari: laude tamen pietatis, et tolerantiae non videntur defraudandi: cuiusmodi sunt Martinus Romanus praefectus Zviccaviensis, e celebri Romanorum familia, qvos metalla Schnebergensia ditarunt: Lambertus Cronebergius civis Lipsiensis: Iacobus Salmannus Magdeburgicus: Petrus Fol Lipsicus: Ioannes Muntzerus: Ludovicus Geulenhoferus Zviccaviensis, qvi iter hoc descripsit, ut testatur Albinus Electoris Saxoniae Historicus: Petrus VVelserus Augustanus: Henricus Busmannus Alberti minister Modonnae, qvae olim Methone fuit, mortuus ibidemqve sepultus, in Peloponneso, qvae recentiore nomine Morea est: VVisantus Rangvicius de familia nobili: Ioannes Bruno et Mathias Forbergerus provisores: Nicolaus Vntervoctus Interpres: Caspar Mergenthal et ipse nobili ortu, Qvaestoris agnati sui minister: Nicolaus a Ratschatiorum stirpe: Otho a Tzschoppritz. Praetereo non paucos: nam ministri fuerunt in universum XXIX. Principum: et alii XXVI. nobilium: et insuper septendecim, qvi cum sua nave primum veherentur a se conducta, importunitate nautarum, Saxonis navem conscenderunt: e qvibus Theobaldus et Bertholdus Steinius, qvorum ille domum non est reversus, defunctus in reditu: Ioannes Goldaccerus: Hugo Barsbergius Eqves auratus, Henricus Nothafftius. Adhaec e diversis diversa-

versarum nationum provinciis ingens numerus: Germani, Bohemi, Poloni, Vandali, Vngari, Batavi, Carinthii, Selandini, Burgundi, Galli, Angli, Sveci, Insubri, Itali, Graeci, Syrii, e Candia, qvae olim dicta fuit Creta, Rhodo, Cypro: et feminae qvatuor, harum duae e Cypro: tertia Olomucensis virum secuta, qvarta Gorlicensis Silesia. Haec prolixius fortassis, et non absqve taedio delicatis, erunt tamen, qvibus haec enumeratio non est futura ingrata: revertor autem ad iter, unde digressa est paululum oratio, persecuturus ea, qvae inter eundem acciderunt. Bambergae ab Episcopo obviam profecto acceptus est Albertus officiosissime, et, qvae tum temporis praecipui amoris symbola fuerunt et argumenta amicitiae, reliqviis Divorum lustratis, deducente honorifice hospitem gratum Episcopo, Bamberga discedentes, contenderunt Beyersdorffium sub ditione Marchionis Anspachii oppidum, proseqventibus ipsos Ioanne Comite VVertheimensi, Bertholdo Hennebergio, Norinbergam usqve: qvo convenit eos honoris caussa Philippus Comes Palatinus, natu minor, et Otho dux Bavariae, qvibus gratificatus, se detineri passus est XIX. mensis Martii, diemqve conviviis laetum exigit. Steina eunti XXI. obviam venit Episcopus Eichstetensis per qvatuor milliaria, neqve ullum humanissimae benevolentiae, qvod tum qvidem potuit praestari, officium omisit: neqve desiderari passus est qvicqvam, ut Ludovicus Palatinus Ingolstadii, Albertus dux Bavariae Pappenhovii, qvi tum cum potestate erat, sedemqve Monaci ad ripas Isarae habebat. Placuit autem subsistere Monaci XXV. Martii, qvod et dies sacer esset, et suum adventum Duci non ingratum animadverteret, roganti etiam ut moraretur: nec parum afficiebatur urbe, descriptione aedificiorum nobili, et situ non inamoeno: non deerant cantores, Musici, qvi vel viva voce, varie inflexa, sonos harmonicos ederent, vel omnis generis instrumentis hospites exhilararent:

erant

erant organa, qvae follibus inſpirata, imparibus tibiis, qvaſi fiſtulae in ordine diſpoſitis, diſtinctos ſonos mirabili varietate edunt. Non deerant, qvi teſtudinibus, citharis, agili manu fides ſollicitando, aures mulcebant, aut ſpiritu tibias inflarent. Praeter ceteras enim fere familias illuſtres Domus Principum Bavariae id peculiare habet, tanqvam praerogativam, ut Muſice mirifice capiatur, eiusqve artifices munifice foveat: VII. Calend. Aprilis ad montem ſanctum divertit, duce ipſo Bavaro, coenobio lautiſſimo atqve elegantiſſimo, cui praeſidet Abbas dignitate Principis, ordinis Divi Auguſtini: vidit hic qvoqve reliqvias Sanctorum, qvibus neſcio qvid religionis, et virium ineſſe, impie perſvaſa, credidit ſuperſtitioſe aetas ſuperior. Sudarium ibi aſſervari perhibent, qvo in horto in lucta ſua inenarrabili guttas ſangvineas abſterſerit filius Dei: et cerni adhuc colorem cruentum audent impudenter affirmare: praeterea ſtolam ab ipſa ſempervirgine Maria Ioanni Evangeliſtae contextam: et mappam menſae inſtratam, ea veſpera, qva ultimam in his terris coenam paſchalem celebravit Chriſtus: partem Calanticae Mariae: faſciam, qva in cruce idem tectus, maculis ſangvineis: fragmenta crucis: tum particulas coronae e ſpinis conſutae: clavum, qvi fuit cruci infixus: crucem aliam, qvae coelitus miſſa fuerit Carolo Magno: et multa alia: auro omni atqve argento incluſa. Has monachorum profligatiſſimorum impoſturas legenti mihi, in mentem venit commemoratio iucunda Dn. Georgii Fabricii, exponentis ſuis domeſticis iter ſuum Italicum: is inter cetera narrabat, veniſſe ſe ab Oſtio, qvo ex urbe excurrerant, ad tres illos fontes, qvos fabulantur ortos ex ter repetito ſaltu capitis Divi Pauli, interfecti a Nerone: e qvibus bibentes, interrogati cur id facerent, qvia, inqvit, ſpatis hic appenſis aſſcriptum videmus, immunem a febri futurum anno uno, qvi ex uno biberet fonte: annis tribus, qvi ex omnibus. Tum monachus,

hae

haec rudibus, inqvit, scripta sunt, et imperitae plebeculae, ut metus ei aliqvis religiosus iniiciatur: prudentioris est, his nihil moveri, qvia vana sunt. Affirmavit et hoc; contemplantes vidisse templum, et cui esset dicatum, qvaesivisse, per Deum, sacerdos respondit, ignoro: reperisse autem aureis literis: Templum SS. Nirei et Achillis. Qvicunqve ii divi sunt, turpe est, eos a praeside nesciri. Qvid igitur de traditionibus istiusmodi sit sentiendum, patet: qvod disputare, nec instituti nostri ratio patitur, neqve opus est, qvandoqvidem toti nunc mundo prostant impia impiorum hominum commenta. Redeo igitur ad rem: a monte sancto Navenaviam, et hinc profecti Inutrium finibus appropinqvarunt Sigismundi Austriaci, veneruntqve Oenipontem IV. Calend. Aprilis: absente vero Archiduce, hospitibus adventantibus in occursum misit uxor Ducis, Leonora regis Scotiae filia, Marchionem Badensem, summa elegantia exqvisite ornatis, qvibus excipiendus erat hospes, conclavibus: eoqve se contulerunt Christophorus et VVolffgangus Bavariae duces: comitati Albertum Sterzingium via difficili, et montibus asperis: hinc praetereuntes Brixam urbem Episcopalem, et Clusam, post Pozam accesserunt, eoqve venit salutaturus hospitem, natum e patrui Ernesti filia, Sigismundus Austriacus, princeps liberalissimus: eodemqve Christophorus dux Monaci, et Ioannes Novi fori, diemqve IV. Non. Aprilis hilarem duxerunt, deditqve Sigismundus, beneficentia celebris, Saxoni honoris et benevolentiae pignus asturconem: VVilhelmo Comiti mulam: Ioanni Mergentalio praefecto rationibus aerarii gradarium. Pridie Non. Aprilis Alpium, Italiam a Germania dirimentium via superata, et montibus horridis, atqve etiam qvibusdam in locis, periculosis nonnunqvam, non longe a Tridento, urbe in plano sita, Episcopus adventantibus occurrit. Acciderat anno hunc proxime praecedente, eo die, qvi Paschatis festum antecedens

memoriam celebrat coenae Dominicae a Christo iam iam mortis, et qvidem omnium maxime abominandae, supplicium accessuro institutae, ut Iudaei, iurati religionis Christianae hostes, sangvinem Christianum desiderantes, ablegarent suae professionis hominem Tobiam, ceteris audaciorem et ad facinus paratiorem: is in angiporto conspicatus est Simeonem puellum ad fores sedentem, hominis pauperis filium, qvi annum nondum fuerat tertium egressus, formae elegantis, et floridae: Iudaeus puero arrepto, et sub pallio abscondito in pedes se coniicit celerrime: ad aedes Iudaeorum gradu citato accelerans, ex composito sine mora recipitur: occultatur infans aliqvandiu, ne ab inqvisituris, scelus deprehenderetur, et dum instrumenta, qvibus opus erat, pararentur, et ad caedis societatem convocarentur reliqvi. Ad facinus instructi, primum genitalia pueri abscindunt, et sangvinem promanantem phialis excipiunt: deinde e malis vulneratis sangvinem eliciunt, hinc e cruribus, post e pectore, et brachiis aliisqve membris subula et scalpello incisis, ut copiosius cruor efflueret. Ne vero qvid turbarum, et vociferationis e dolore cieretur, linteo faucibus obturatis, vocis viam intercluserunt. Deprehensi in scelere Iudaei, et facinoris convicti, corpore inverso suspensi et combusti sunt: combustis una canibus, qvos diritate referrent: et comburendis tribus, qvi in carcere tum detinebantur, ad VIII. Idus Aprilis, anno 76. Superstitiose autem servarunt cadaver, corpus pueri, et venerabundi advenis cupientibus videre monstrant, numeroqve divorum accensent, interqve martyres collocant, et altari in templo Beatae virginis impositum, atqve sarcophago reconditum, magno concursu et admiratione, ex miraculis, qvae illi affingunt Pontificii, sancte colunt.

Laute habiti, et perqvam officiose tractati ab Episcopo, in hortis ordine consitis, et venustissime exornatis: VIII. Idus Apri-

Aprilis, poſtqvam pridie eius diei in qvadam taberna divertisſent, ſeqve tum demum peregrinari intellexiſſent, ſub coelo alio, ex vino fumoſo, cibo craſſo, lectis, diverſis ab his, qvibus aſſveti erant in Germania, aut etiam aliis paulo lautioribus Italiae locis, Veronam tandem ingrediuntur, obviumqve habent ante urbem praefectum Veneti ſenatus, et eqvitatu exqviſite ornato, tubisqve et tympanis laetum ſonantibus, et adventum ſibi eius principis, cuius fama rerum in primo aetatis flore geſtarum, etiam in Italia percrebuerat, gratulantibus. Praeſes Venetus, lagenas aliqvot vini Malſiatici, hypotrimmata, candelas ex cera candidiſſima eaqve conſecrata confectas, Saxoni miſit, declaraturus cum ſuam illi, tum ſenatus Veneti, cuius vicem gereret, benevolentiam. Eſt ea urbs ſub ditione Venetorum, appellata ab Diterico rege, qvi, qvod delectaretur vehementer eius urbis amoenitate, Veronenſis ab ea coepit dici: qvanqvam ſunt, qvi a fortiſſimo Gallorum duce Brennone nuncupatam contendant: interluitur fluvio Atheſi, ex Alpibus orto: dives ſolum, tritico, oleo, vino, pecoribus, lapidicinis, fluminibus, ſtagnis, lacubus, aqvarum ſalubrium ſcaturiginibus: nobilitata etiam ingeniis alacribus et excitatis: nam in ea urbe nati Catullus, Hieronymus Fracaſtorius. Nobilis eſt duabus arcibus, altera Atheſi, extremam vallem placido curſu riganti, paene imminet: altera editiore loco, ſubiecta urbis moenia deſpectat. Erant tum adhuc conſpiciendae arcis Diterici, mira arte extructae, reliqviae, ſed foede collapſae, qvae incolebantur a mulieribus, qvae pudicitiam, ſi qva ea eſt ſemel abiecta, publice proſtituebant: qvaeſtum corpore facientes. Vt ad dexteram paululum deflecterent, rogatu factum eſt Margaretae coniugis Friderici principis Mantuani (cuius familia cum Marchionum dignitate et titulo eſſet, poſtea Franciſcus Ducis appellationem a Carolo V. impetravit) qvae ſoror erat Eliſabethae coniugis Erneſti Electoris, fratris huius

 Alber-

Alberti: a qva humaniſſime invitabatur. Vrbi appropinqvantem Saxonem Fridericus, filius Ludovici Mantuani e Barbara Ioannis Marchionis Brandenburgenſis filia, eqvitatu ſtipatus ſplendido, in arcem deducit: ingreſſo portas et ſocrus et nurus, gynaeceo pone ſeqvente, de adventu gratulantur, omnia conclavia regio luxu, tapetibus, et aulaeis mira arte egregie contextis circundantur: nec qvid humanitatis et officii praetermittitur. Accingens ſe ad iter, qvod inſtitutum habebat, enixe rogante Bavarica, et monente, ut qvieſcendo paululum vires colligeret, inſtare enim viam lutoſam et impeditam: utqve eqvos continuis itineribus exhauſtos reficeret, morem geſſit amicis. Qvinto Idus, ut facilior eſſet profectio, viis inſtauratis, et in foſſis terra ingeſta iuſſu principis Mantuani, inde profecti ſunt, itinere laborioſo admodum et coenoſo, et praetereuntes coenobium inter Mantuam et Mirandulam magnifice extructum, et munifice locupletatum, profeſſione ordinis Divi Benedicti, a qvo et nomen ei factum eſt, nonnihil recreati humanitate Coenobitarum, Mirandulam iverunt, excepti a Comitibus, et horum conſiliariis atqve aulicis perqvam comiter. Bononiam ubi pervenerunt, urbem ambitu qvidem amplam, verum minus ſplendidam, duros repererunt hoſpites, et parum officioſos cives, qvemadmodum et in nonnullis aliis urbibus Italiae, qvae qvondam in illa diſſenſione inter Imperatores et Pontifices, diſtractae fuerunt, aliis Gibellinorum partes ſeqventibus, qvi dignitatem tuebantur imperatoriam, aliis Gvelphorum, qvi pontificum auctoritatem: etenim, poſtqvam non ſine ſumma difficultate, perreptaſſent montes, et pluviis toti madidi, ſaxa et ſcopulos montis Apennini viciſſent, Scarparia profectis Florentiam, idem uſu venit. Nec vero mirum, ſiqvidem haec urbs dominationis appetens, nullo non tempore ad principalem aſpiravit: ideoqve exoſos habuit eos, qvi Imperatorum iura defenden-

fenden-

fendenda fufcepiffent, neqve erat obfcura Alberti gloria, qvi in ipfis primae iuventutis annis Imperatoria fibi maieftate nihil duxit antiqvius, nihil fanctius: fcribit autem Mergenthalius, auctor huius itineris, notatu effe dignam: primum urbem ipfam, qvae fit venufta admodum, et faxis ftrata qvadratis, fpatioqve vafto et amplo: et qvidem convenit hoc cum eo, qvod praecipuis Italiae urbibus peculiaria funt attributa epitheta, ut dicantur Venetiae urbs ditiffima: Mediolanum maxima, Genua fuperba, Florentia venufta, Bononia foecunda, Ravenna antiqva, Neapolis nobilis, Roma fancta et caput Chriftianae fanctitatis. Deinde arcem Epifcopalem et bafilicam, pulcherrimam et ornatiffimam e folido meroqve marmore extructam, in qva tum pridie Pafchatis, horam circiter fextam miffa celebratur in Divae Mariae, qvod templum dicatum eft monachis profitentibus auctorem fectae fuae Divum Benedictum, celebrabatur autem tanta populi freqventia et feftivitate religiofa, qvanta effe poteft vel maxima: die ipfo, qvi facer eft refurrectioni ex mortuis filii Dei, incideratqve illo anno in XVIII. Calend. Martii: Miffae intererant fummae in bafilica, praefidente Vicario Epifcopi: Epifcopo vero ad latus arae confidente: et Laurentio Medice ad arae latus alterum, e regione Epifcopi, facris intento: qvi Saxoni confpecto id honoris habuit, ut cum facra peragerentur, iuxta fe collocato digniorem locum tribueret: et facris abfolutis Antiftitem Saxo adiit, manuqve porrecta honorifice compellatum falutavit. Domus Medicea plena dignitatis et magnificentiae: laqvearia aurea, opere inteftino veftiti parietes, menfae et rifci cupreffini: hortus triplici deambulacro, qvam late qvamqve longe patebat, racemis vitium eductis altitudine ulnarum triginta. Domui adiunctum templum ambitiofe ornatum ingeniofiffimis imaginum picturis, fignis, ftatuis, reliqviis, aris, inaurata, auro incruftata, artificiofa omnia; coenaculum lacuna-

cunari egregie caelato, et a nobilissimis statuariis, pictoribusqve exqvisitissime decoratis conclavibus omnibus: armamentarium tam praeclare instructum, ut satis inde armorum suppeteret viris qvingentis: reditus singulis horis aeqvabant, ut sermone vulgi ferebatur, aut etiam superabant, ducatos XIII. qvae summam faceret redituum unius anni ducatos 113568. Vixere hoc tempore fratres duo, Iulianus et Laurentius: in qvos conspiratione facta saevitum est crudelissime post biennium, Anno 1478. a Principibus nonnullis, et Cardinalibus: et Iulianus qvidem scelerate est in ipso Divae Liberatae, Francisco Salviato Eucharistiam celebrante, obtruncatus: Laurentius vero vulneratus impetus primum sustinuit: post vero tandem e manibus latronum evasit. Nosocomia in ea urbe sunt non pauca, sed unum omnium opulentissimum ad S. Mariam, in qvo qvatuor sunt Medici, qvorum alter morbum cognoscit, alius scribit rationem medicamentorum: ceteri perpetuo aegrotis assident, ut incrementa, decrementa, κρίσεις, συμπτώματα morborum accurate observent: estqve myropolio optime instructum, qvatuor cameris distinctum, ne qvid desideretur, ne qvid non suo ordine collocetur, ne sit, qvod conqveratur vel pauperrimus: tanta autem diligentia, mundicie, cautione omnia curantur, ut, qvod reqvirat praeterea, nemo habeat: lecti sunt purissimi, ministri qvam plurimi: locus amoenissimus: templum minime deforme, coemeterium commodum. Haec paene virtus unica est, qva prae ceteris nationibus Itali laudem merentur, videlicet hospitalitas: qvod aegrotis omnibus ad ipsos divertentibus aditus patet: ac memini Georgium Fabricium dicere, statuere se, hac beneficentia hactenus iram Dei inhibitam, ne universam Italiam everteret, in tanta omnium scelerum licentia, libidinum foeditate, impiarum opinionum blasphemia, et infandae idololatriae, indies incrementa capientis, abomi-

abominatione. Civibus id peculiare fuit, ut eligerent viros duodecim, qvibus rei summa, et publica administratio committebatur: hi menses duos continue in curia agebant, neqve inde descendere, aut communicare consilia cum aliis fas erat: neqve accessus cuiqvam, ne coniugibus qvidem dabatur: habebant sua singuli conclavia, habebant binos ministros, qvorum opera uterentur. Qvia vero erat dies sacerrimus, ingredi templum iis tunc licebat, festo paschatis, praecinentibus tubicinibus viginti: decem ministris sceptra argentea praeferentibus: Senatores ipsi trahebant ingens agmen servorum, ipsi demissis infra suras palliis ex holoserico erant conspicui. Mores senatorum prae se ferebant fastuosam superbiam: itani obviam facti Saxoni principi externo, ne salutare qvidem dignati eum sunt, et magistratus mores seqvebantur cives importuni et inhumani, atqve difficiles, inprimis hospites, qvorum alter ad signum Leonis euntibus Romam ligna aestimavit florenis XII. homo nefarie improbus: alter in reditu, illo longe deterior, ad Coronam aureis Rhenanis totidem. Pertaesi mores urbis iniqvae, Senas abeunt, patriam Pii II. Pontificis Maximi, urbem maximam, coeli temperati et aeris salubris, puellis elegantissimis, et mulieribus formae liberalissimae nobilem: celebrem Academia: Basilica itidem marmorea sumptuosissime exaedificata: Xenodochium habet post se relinqvens Florentinum longissimo intervallo, qvantumvis ditissimum, a qvo nemo excluditur. Insignia Pii II. cuius pater a plebe fuerat e Republica eiectus, seqve cum reliqva nobilitate contulerat ad fundum gentilitium Corsinianum Vallis Vrciae oppidum (ut scribit Platina) multae aedes ostentabant, honori sibi ducentibus civibus tantum alumnum, cui totus orbis Christianus se submisisset. Hinc qvoqve moventes thermas ingressi sunt, nihil tamen morae nectentes, mox Aqvam pendentem, in plano sitam: inde Viterbium, ubi Diva

Rosa

Rosa sepulta creditur: ibiqve orto tumultu inter hospitem Italum, et Germanum, eoqve composito Saxonis prudentia, recta contenderunt Romam, qvam, comite VVeissenbachio Doctore Iuris, qvi venientibus occurrerat, accesserunt XI. Calendas Aprilis, emensi milliaria centum nonaginta septem. Cum autem prope ab urbe abessent, dimidio fere milliari, obvios habuerunt Volcmarum principem Anhaltinum Decanum Bambergensem, Doctorem Mellerstadium, et alios consiliarios principum Saxonicorum, Romam missos ab Ernesto Electore, ut Ernestus, Electoris filius, qvi suffragiis Cleri et totius Capituli Magdeburgensis consensu in locum Antistitis defuncti Friderici, e familia Comitum Beichlingiorum, electus fuerat, ante annos legitimae aetatis dispensatione pontificia, administratoris auctoritate, et nomine confirmaretur. Praeter hos urbe exierunt legati Comitis Palatini: qvos Caesarei seqvebantur: hos Cardinales circiter triginta qvatuor, aut etiam plures: postremo Hieronymus Comes fori Cornelii, e cuius sorore Violentina Raphael Diaconus Cardinalis Divi Georgii, nepos Sixti IV. Pontificis, post biennium coniuravit contra Iulianum et Laurentium de familia Medicea: superabat eqvitum numerus 1500. Qvi omnes adventum Saxoni sunt gratulati: elapsis ferme horis qvatuor, qvibus, porta ab exeuntibus occupata, foris detinebantur, in urbem sunt deducti, in Domum Germanicam: eratqve is dies Dominicus Qvasimodogeniti in primitiva Ecclesia dictus, et Dominica in Albis, ab iis qvi candida veste induti, Ecclesiae inserebantur: die seqventi per Curatorem aulae suae Pontifex Alberto Saxoni misit, vinum, zeam, gallinas et alias animantes, multaqve mensis secundis servientia. IX. Calend. Aprilis, qvi dicatus erat et festus memoriae Divi Georgii, Cardinalem adiit Mantuanum, conclavia intrans, velariis vestita acu pictis adornata lectis, panno scutulato velatis: tribusqve andronibus

im

ita continuatis, ut alium alius ornatu varii generis excelleret, qvorum interiorem Cardinalis tenebat: Pauca collocuti familiariter et amice, palatium summi Pontificis ambo petunt, utqve accessus ad Pontificem esset honoratior, et augustior, triginta abollas holoserico obductas fieri curaverat. Duce igitur Cardinali, et aditum parante, Sixtum IV. adeunt, Albertus Dux, et VVilhelmus Comes Hennebergius: verba facit Mellerstadius orator: Princeps flexis genibus, de more temporum, osculatus pedes Pontificis, eius se sanctitati commendavit humilime et devote: cui benigne et perqvam prompte pollicitus omnia est Pontifex: Alberto enim, et qvicunqve eius ductu viam hanc sacram inirent, annum salutis et gratiae clementissime aperuit, et leniore etiam atqve faciliore, qvam fieri consveverat aliis, veniae causa eo confluentibus, poenitentia, omniqve crimine atqve poena liberos et immunes pronunciavit, neqve omnia adire supplicando templa, qvae caeteri peregrinatores adire solebant, septem scilicet primaria, necesse fuit, sed ex his solummodo qvatuor, Ioannis, Mariae, Petri, Pauli: et qvidqvid petere in mentem venit, sive qvid aliud, nullam repulsam tulit. Omnibus rite peractis, reliqvi intromissi sunt ministri et comites, qvi osculo dato pedibus Pontificis, benedictionis papalis facti sunt compotes. O diram illam et execrandam bestiam, o infernalem meretricem, qvae divino et soli Deo debito honore, blasphemis mendaciis, sibi arrogato, adorari vult: qvae reges potentissimos philtri calice dementavit: XVII. Cal. Aprilis Hieronymus Comes Fori Cornelii, qvae alias est Immola, operas iungente qvodam propinqvo ipsius, certamen eqvestre edidit, in gratiam hospitum, more Italico, per triduum: Ipse indutus erat veste Attalica aurea: tegumentum et instratum eqvi auro intertextum, phalerae aureae: Cursores sedecim Damascena ornati veste: caeteri vel scutulata tela auro discreta, vel

qvisqviliata, vel precio non inferiore. Concurrerunt decem et novem: singuli vicies: Munus praecipuum, honoris causa, non meriti, Comes tulit, vestem preciosissimam acu pictam: donum huic proximum, auro intertextum nobilis Romanus: tertium sericum διζαφον coccineum Regis Neapolitani aulicus, natione Germanus. Nihil non magnificum fuit et exqvisitum, sed apparatus plus artis habuit, maioremqve movit admirationem ornamentorum precium, qvam in congressu aut alacritas aut celeritas. Tertio Calend. Maii valedicturus Pontifici admissus solus est cum Hennebergio, et oratore suo Mellerstadio, humanitatemqve singularem expertus: et deducente eum ex urbe Cardinali Mantuano, et aliis Episcopis, postridie Sutrium, post Faliscos petieruut, qvi sunt hodie Italis Montesiasco, nobilitatos tumulis Divae Margaretae et Iulianae: hinc ad Aqvam pendentem, inde Thermas, ubi laverunt, qvemadmodum et antea: Senis pernoctarunt, urbe Hetruriae: non male accepti sunt summa civium voluntate a Cassinatibus, popularibus Divi Benedicti: eorumqve studio mirifice est delectatus Albertus. Etenim instituebant choreas: virginibus pariter et mulieribus concinne ad certos modos et numeros definitos, ex instituto et consvetudine gentis, saltantibus, nunc pedibus lentius, nunc concitatius promotis, mira agilitate, et motu corporis vario: passibus, nunc longioribus, nunc brevioribus: Et qvia novum id erat, et in Germania inusitatum, hypotrimatibus et vino, qvandoqvidem alio modo non poterat, id sibi magnopere placere princeps declaravit. Florentinis idem animus in ducem erat, qvi dudum: Bononienses qvia Roma, ubi pestis grassabatur, venerant, ne admittere qvidem in urbem Germanos peregrinatores volebant: igitur ulterius profectus in tabernas, qvas vocant Tordulam fossam, divertit, eqvis remotis, conscensoqve navigiolo, Ferrariam venit, aedificiorum descriptione et domorum elegan-

gantia admirandam. Decantata vero toto terrarum orbe Aula Ducis, cuius ornamentis, picturis, conclavibus, hortis nihil ubiqve aut praeferendum aut conferendum putabatur. Vrbs ipsa spacio ampla, plateis latissimis et longissimis, situ praeclara: populosa civium freqventia: Terra est palustris, solum vini et frumenti non admodum ferax, sed mercium commutatione ditissima: sita ad Padum fluvium, in qvem triginta flumina feruntur, orta ex Apennino monte, mediam Italiam secundum longitudinem dirimente, et ex Alpibus ante urbem hortus est muro lapideo circundatus, ambitu trium milliarium Germanicorum, refertus feris varii generis: ab urbe ad hortum euntes via ducit lapidibus strata coctilibus per qvartam ferme partem milliaris Germanici, ad latus utrumqve arbores procerae umbram praebentes euntibus, et fere contiguae: nec longe ab horto coenobium, Carthusianis dicatum. Ne qvod benevolentiae signum Saxoni declararetur, inde factum fuit, qvod alter fratrum principum Hercules Estensis tum abesset, penes qvem erat gubernationis ius, alter, sibi non esse integrum audere qvidqvam, urbane admodum et scite praetendebat: Relicta Ferraria VII. Idus Maii, discedentes, et Francam villam delati, eqvis omnibus, qvorum usus in mari nullus erat futurus, ut potuit, divenditis, in taberna, cui Regem nomen fecerant, pernoctantes, Venetiis IV. Idus Maii, a primariis urbis summa humanitatis significatione, et officiorum prolixa pollicitatione accepti sunt: dato hospitio iuxta templum Divi Marci, viri boni et erga exteros haud difficilis. Actis ibi diebus qvinqve, promittente navigationem expeditam navis patrono, dies alios septem in navi detinebantur: Vnde facile coniectura capi potuit, qvalis esset patronus: nihil minus facturus, qvam qvod, Deo et Coelitibus, divisqve invocatis, sancte iuraverat. Nam anteqvam solutis anchoris navigaret, hac forma est usus: In nomine spiri-

tus ſancti, auſpice et duce itineris huius ſancti, vir nobilis Andreas Contarenus Donati filius Venetus navem promittit, et promiſſam tradit viris prudentibus et honeſtis, Ioanni Brunoni, et Matthiae Forbergero, et horum Comitibus in Palaeſtinam, terram ſanctam abeuntibus, hac lege: Tradit Patronus navis Contarenus, et praeſtiturum ſe bona fide promittit, navem firmam et probe munitam, et armis inſtructam, reliqvisqve neceſſariis, pro eo ac conſvevit urbs Veneta: Promittit una ſe iturum qvamprimum, niſi tempeſtatum et coeli iniuria prohibeatur: Iturum una architectum, fabrum lignarium, naupegum, remigiorum artificem, octo ſocios, ſedecim ſagittarios, ſcribam, et huic adiunctum alium librarium, tonſorem, focarium, emiſſarium, praefectum cellae vinariae, coqvum, coqvi miniſtrum: binos in tranſtris remiges. Atqve hi apti ſint ad navigandum, rerumqve ſibi commiſſarum periti: neqve e navi qvoqvam ſe moveant: Promittit appulſurum ſe ad qvemcunqve portum, urbem, oppidum, dux velit, aut alii comites: moraturum biduum, aut, ſi ita videatur peregrinatoribus, etiam triduum, inter eundum, et redeundum. In terrae ſanctae littore expectet nauclerus, dum loca ſancta inviſerint univerſa: aut, rebus expeditis, ſi placeat, octidui moram trahant: In qvacunque navis parte fas ſit mare transmittentibus agere, qvod libeat: nihil moleſtiae onerisve exhibeant nautae peregrinantibus: Vinum ne deſit, panis dulciarias, inter prandendum, inter coenandum alias. Aqva curetur, ut ſit recens et limpida ad coqvendum, et ad vinum diluendum: Culina Saxonis nautae abſtineant: Empturis vinum, aut aqvam allaturis, comites duos patronus addat, ne qva in pericula, neu in inſidias incurrant. Cellam peculiarem et occluſam tradat vino reponendo: caro conditanea ne ſit rancida, ne mucoſa, in culina locus relinqvatur, ad qvem nulli acceſſus ſit. Praebeat ligna, et reliqva foca alendo necesſaria: mappas mundas vel omni-

mnibus,vel certe primoribus: Venetiis cursum dirigat Anconam: socios caeteros et naves recipiat,Brunonem et Forbergerum: permissum sit, si libeat, recipere in naves homines CX. Haec iuratus promisit patronus: Qvi si falleret, mulctam sibimet indixit Ducatorum mille: et superioribus hanc addidit conditionem, neminem alium passurum se navem conscendere,non assentientibus principibus. Principes vicissim patrono se numeraturos pollicentur qvatuor millia ducatorum: Verum hac lege: Tria millia et qvingentos ut solvant, anteqvam e portu exeant: qvingentos tum demum, si inter navigandum, nullum ex nautis omnibus remigibus, sagittariis, famulis deesse deprehendant: si desit, ex ea pecunia parent in Slavonia: Qvod si plures Cx. recipi voluerint principes, patrono ut satis fiat, sic tamen, ne precium excedat ducatos XVI. in portu terrae sanctae solvendum: et ne qvis malum sibimet accersat: qvod si fecerit, moderatos se reducturum salvos. Vtraqve pars conditionibus subscripsit, easqve ratas habuit: contra qvas faciens, impensas solveret, et damnum acceptum sarciret, sine recusatione. Consentit patronus, pollicentur sui principis nomine Ioannes Bruno, et Matthias Forbergerus, qvibus potestas constituendi omnia et paciscendi cum nauclero, de vecturae precio, parandi viaticum, emendi qvibus opus esset, in navigatione tam longinqva et diuturna data erat. Qvam egregie fidem solverit nauclerus, id argumento est, qvod contra pactum, antequam naves ingrederentur, ultra IV. M. ducatorum, a singulis naulum postulavit XXXIV. Ducat. Venetiis, ne qvid remorae iniiceret navigationi expeditae, provide curarunt omnia, emerunt pernas, farcimina, carmen bubulam sale conditam, lingvas bovinas, gallinas, sturionem conditaneum, aureolas marinas, lupos salitos, rhombos, butyrum, ova, oleum, poma, mel, caseos, acetum, pisa, milium, similaginem, farinam avenae, crimnon,

hordeum, amygdalas, uvas paſſas grandiores, pyra, vinum, Malvaticum, culcitras plumeas, et lectos, 190. Ducatis, panes dulciarios conditos Zaccaro, Saccarum candidiſſimum, varia τῶν πεμμάτων genera è Zaccaro, aromatibus, et his ſimilibus confecta, Zinziber conditum, nuces ungventarias, macim, aromata alia, crocum, piper longum, acorum galangam, Zaduram. Praeterea ſupellectilem domeſticam, lintea, candelabra, ciſtas, pelluvia, qvadraginta bombardas, pulverem bombardicum, malleolos, ſerras, lagenas, ſtaticula, funes, pateras, lanceas, frena, capiſtra, mappas, mantilia, ſerras, ſecures, ſal, ſmegma, orbes qvadras, urceolos, laternas, ſartagines, tyrocneſtin, ahenum. Praetereo multa, ad vitandum taedium: et tamen non omnino omittenda haec putavi, qvae recenſui, adductus hominis diligentia, qvi ipſe peregrinationi interfuit, et etiam minima accuratiſſime perſeqvitur, libras qvoqve et pretia in plerisqve commemorando.

Rebus itaqve omni ex parte diligenter paratis, et conſtitutis, mare ingrediuntur, die ſuperius indicato, anchoris ſolutis, et deductis navibus, rem plenam moleſtiae, laboris, periculorum: qvam nemo aggreditur, niſi aut avaritia occoecatus, aut religione inductus, aut cupiditate cognoſcendi multa incitatus. Qvis enim tempeſtatum iniurias, nives, pluvias, ſcopulos, monſtra marina, piratas, errores, inediam, famem, ſitim, naufragium deniqve ſuſcipiat? in navis parte inferiori, ubi ſordes exhauriuntur, locus uni tribuitur palmorum trium minorum, ita ut contigui iaceant: in aeſtate, aeſtus immodicus: pulicum furioſa rabies: foetor intolerabilis: nauſea moleſtiſſima: murium copia noctu per os curſitantium: metus ab incendio et candelis incaute tractatis, cuius fuga in mari nusqvam patet, neqve enim pice illita reſtingvuntur: ſoporem turbant colloqventes inter ſe, aut canentes: morbo correptis in ſtrepitu et turba vivendum eſt, nec habent, ubi onera naturae reddant:

dant: qvae vel sola causa materiam morbi praebeat: Mari ventis et tempestatum procellis commoto, et nave undiqve qvassata vi undarum et fluctuum, ebriosorum instar alii pedibus vacillabant, alii prosternebantur. Cibus vilissimus et crassus, immundus et palato ingratus: caro qvasi sole indurata, panis acerosus, mucidus, plenus gurgulionum: aqva nonnunqvam limosa, nonnunqvam foetida: vinum ex solis ardore tepidum, fumum exhalans, insipidum: sol ardentissimus, aut pluviae molestissimae: conclavia occupantem, odor graveolens cruciabat; sub dio agentem, coelum et aer macerabat: metuendum erat damnum a furacibus nautis: caedes et mors a Turcis mare reddentibus infestum: naufragium ab undis et ventis: terror ab aliis piratis: periculum a foetore aegrotantium: obitus tristis cum coelo peregrino: sepultura misera cadaverum fere adhuc calentium, qvae in mare coniiciebantur, et qvorum XI. spacio qvatuordecim dierum interierunt, nihil opis ferente medico: morbus violentus, e qvo paucissimi convaluerunt: mora nautarum lente, suorum mercimoniorum causa, progredientium: malitiosa ipsius patroni negligentia, ex incuria affectata septem vasa vini e numero vasorum qvinqvaginta perdentis, cum, qvae ipse paraverat, ne unum qvidem efflueret aut rimas ageret: ad qvod accessit, qvod, qvo maiore desiderio terrae tenebantur peregrinatores, eo minus cursum urgeret. Omnium igitur difficultatum remedium est sola patientia. Haec si cui videntur iniucunda, is sic habeat, commemorari a me, referente Mergentalio, ut ostendatur, qvantos labores et qvae adierit Albertus pericula, invicto animi robore adversus omnes, qvae incidere possunt homini, difficultates, ex sincera in Deum pietate, et tolerantia rerum adversarum, probe muniti, et, qvae in illa aetate ab hoc Principe expectari potuerint. Progrediemur nunc in coepto itinere. IX. Calendas Iunii circa meridiem e portu Veneto solverunt,

verunt, alteroqve die Parentium appulerunt oppidum dicionis Venetae in Istria, lignis et aqva navibus imposita, Ragusa ad sinistram relicta, Curzolam navigarunt, Venetorum Imperio parentem: cuius incolae lingva utuntur Sclavonica: oppidum parvum in plano situm. Qvinto Idus Iunii Corcyram delati sunt, hoc tempore dictam Corfu, olim, ut est apud Homerum, Scheriam, pertinentem ad Graeciam, in qva esse urbem scribit Mergentalius munitissimam, et arces duas firmissimas et in altissimo loco positas: Qvi vero his annis eam viderunt, urbem qvidem adeo non munitam aiunt, plateis longissimis, duabus areis, qvarum in una varia veneant; insulam vero firmissimam omnium, qvae sub Venetorum sint Imperio, ut Zacynthum, qvae et Lasanto nunc appellatur, ditissimam. Tertio Idus abeuntes e Corcyra, qvarto die post Modonam sive Nethonem appulerunt, urbem in ea parte Graeciae sitam, qva haec ex isthmo, in qva est Corinthus, olim omnium Graeciae totius ditissima, utrinqve mari clausa, unde Bimaris appellatur ab Horatio, in latum extenditur: diciturqve hoc tempore Morea tota illa regio. Modona urbs validissima erat turribus, muris, propugnaculis sub Venetorum iure, illa qvoqve aetate cum Mahumetes Imperator Turcicus 1471. Peloponnesum totam sui iuris faceret, Modona, Corone, Sonico, sive Sonichio exceptis: qvas tamen annos viginti novem post, Christi videlicet 1500. subiugavit: et ad eam qvondam urbem peregrinatores religiosi appellebant, nunc vero ad Insulam Zacynthum: pertinuit olim ad imperium Constantinopolitanum, sed hoc a Turcis everso, Anno 1453. Qvarto Calendas Iunii anno Friderici Imperatoris Occidentalis XIII. tanqvam ex naufragio tabulae, ita urbes et provinciae aliae obvenerunt. Idus Iunii, qvo die memoria anniversaria recolitur

ἀρτο-

ἀρτολατρεία, idolum illud Maozim, qvod vastat totum cultum Dei, et cuius causa arma in nos grassantur Turcica, instituta ante annos 321. Anno Christi 1264. ab Vrbano IV. in Candiam exscensionem fecerunt, qvod cum nomen urbis est, tum Insulae, spacio distantis a Modona III. M. milliarium Italicorum, et parentis adhuc Venetis, cui hodie fecerunt nomen Candiae, olim dictae Cretae: urbs populosa et firma: insula montosa, saltuosa, vallium plena: in qva nullum lignum crescere dicitur praeter cupressinum: neqve gigni animalia aut morsu aut veneno noxia, serpentes, lupos, vulpes: utilia omnia fere, cervo excepto: Provenit in ea vinum Malvaticum. Regnum olim fuit. Praefectus Insulae Venetus domum Alberto parabat, in qvam diverteret. Hic tristi rumore percellebantur peregrinatorum animi, fama percrebescente, captivos abductos tam monachos, cultores templi Dominici, qvam Christianos alios eo commeantes, a Sultano, neqve ulli dari accessum ad sepulchrum sanctum. Nec tamen insistendum, aut retro abeundum rati, sed dubii inter spem et metum progressi, XI. Calendas Iulii Rhodum attigerunt, nacti hospitium Hermani cuiusdam nati VVimariae. Est ea Insula aere, si qvis locus usqvam in toto terrarum orbe, temperato maxime et salubri, qvam a situ Pindar. Olymp. εἰδ. ζ. ποντίαν vocat, in qva nunqvam coelum ita nubilum est, qvin sol appareat, omnium locorum in terris amoenissimus, unde Rhodus ob pulchritudinem a rosis dici putatur, qvam eqvitibus sacrae militiae ademit anno 1523. Solymanus Turcarum Imperator, die ipso natalis Christi. Aperuit autem Saxo summo Magistro ordinis, qvi esset, qvo tenderet, eiusqve petivit consilium, tutumne censeret aditum ad terram sanctam; an vero retro cedendum statueret: et veraine essent, qvae emanassent de fratribus Hierosolymitanis, qvos Sultanus Aegyptius in captivitatem abduxisset. Laetatus qvidem fuit summus Magister adventu viri tam nobilis; verum

tamen non parum doluit, in tempus adeo infelix et periculosum viros bonos et religiosos incidere: sibi non videri consultum, tam praesenti vitam discrimini exponere: et inprimis arduum et anceps hostilibus armis terras infestas, et maria tentare. Saxo animo iamdudum concepto, et ad qvascunqve vices subeundas intrepidus, immotus in sententia perstabat, et qvamvis, ut fieri consvevit, in deliberationibus difficilimis, hinc atqve hinc fluctuaret, vincebat tamen vis animi generosi, humana omnia inferiora iudicantis religione et cultu Dei. Itaqve in Cyprum Insulam navigant, non ita longe remotam a Syria: aiunt enim, qvondam continentem fuisse, terramqve solidam, cum Syria, inde vero abruptam, ut Sicilia ab Italia. Celebris est et observatu digna salis confectio: nam e palude sal hauritur purissimus, et candidissimus, et soli expositus siccatur. Regnum tunc erat, sed iuris in eo nonnihil sibi vendicabant Veneti, vel qvia aere illis alieno obstricta regina erat, vel qvia insidiose, sublato herede, ad se conabantur transferre. Nunc occupata a Turcis misere servit, anno 1571. Hinc moventes nocte media, a longo orto sole conspectam sanctam terram salutantes, hymnum continentem confessionem Augustini et Ambrosii, laeta voce et animo cecinerunt. Ad littus appellentes non ausi sunt terram conscendere, expectandus enim erat per dies sex salvus conductus. Nam pro certo affirmabatur, fratres Hierosolymitanos, qvi capti fuerant, dimissos qvidem, sed iurasse tamen Sultanum, ulturum se illatas sibi a Christianis iniurias primo qvoqve tempore. Ita differebatur conductus, metu minarum Solthani.. Qvare, ut qvid certi cognosceret, exploratores Saxo misit monachum et alium ministrum ad Gardianum Hierosolymitanum, ut, qvid e re videretur, consuleret. Horum neuter revertebatur. Nauclerus itaqve, et, qvem secum advexerant, ut sacro fratrum Hierosolymitanorum ordini initiaretur, vel qvia maturabant reditum

in

in patriam, vel qvia vim hoſtilem metuebant, Saxonem, ne qvid auderet, neu ſe hoſtili terrae crederet, dehortabantur ſedulo. Et ceteris qvidem non inconſultum videbatur, ab incepto deſiſtere, Graecorum exemplo, qvi de bello ad Troiam relinqvendo deliberabant, ne qvid tamen intentatum relinqveretur, nec temere qvid fieret, a Nauclero mitti petit, qvi miniſtro ſpeculatum ablegato nunciaret, niſi veniat, ſe qvamprimum abiturum nocte proxime ſeqvente. Et qvidem Ioannes Monachus, et miniſter eum comitatus, reſponſum tandem a Gardiano tulerunt: Sedecim annos ſe vixiſſe inter paganos, voluntates tamen illorum neqvaqvam ſatis habere perſpectas: Numerum peregrinatorum eſſe exiguum, viros nobiles et magnae familiae non ſatis reperiri conſilii. Si de ſe agatur ſolummodo, ſitqve dicendum qvod ſentiat, haud eſſe ſe tam abiecti animi, ut auxilii et defenſionis divinae ſpem abiiciat. Iturum bonis avibus, ſentiri enim Deum praeſentem, qvicunqve ipſo fretus etiam maxime ardua ſuſcepit: et humana ratione inexplicabilia qvae videntur, ea ducente Deo fieri facilima. Qvibus auditis Albertus animo ad res magnas atqve difficiles ſumpto, aliis abitum et fugam turpem meditantibus, aliis etiam aperte ſvadentibus, conſilio habito, ſingulorumqve rogatis ſententiis, impatiens abitus in huuc modum locutus fertur. Qvanto capitis periculo hoc mare vaſtum adierimus, qvantos terreſtri itinere ſudores pertulerimus, vos, fratres, optime noſtis, eadem ſcilicet experti: Nec vero ignotum eſſe potuit ulli, dum in patria qviete adhuc et ſecure ageremus, ex narrationibus eorum, qvi ante nos hanc navigationem et has difficultates exhauſerunt, parum fidei eſſe paganis iſtis, ſine lege, ſine Deo, ſine religione, ſine ratione viventibus, rapina ſeſe ſuſtinentibus more ferarum: qvibus nec iuris aliqva umbra eſt. Neqve illud dubium, qvin aliis idem acciderit: veſtrumne igitur ſit, communem fortunam recuſare,

optare propriam, considerabitis, et rem altius atqve accuratius perpendendo examinabitis. Qvod si nulla alia re, nisi rumusculis incertis, qvales mihi videntur, aut aliqvibus periculis, si qva sint, retro cedamus, virorumne id sit, vos iudicate. Cum gratulatione et votis nos proseqvuti sunt cives, cum amplexibus et felici omine dimiserunt coniuges et agnati, cum diris forsitan et risu iidem nos sunt recepturi. Suspensi expectant, audituri de locis religiosis, de ea terra, qvam filius Dei suis calcavit vestigiis, de ea urbe, qva in toto oriente nulla omnium splendidior: turpe foret frangi animis, si viri sumus. Qvot mulieres (molles hae natura sunt) feliciter hoc iter confecerunt, nos vel mortem, si ita fors ferat, adire detrectemus? At, inqvis, alio revertemur tempore, tranqvilliore et commodiore. Qvid si terribiliora tum narrentur? Itane de nihilo et frustra tot labores sustinuerimus, ut scilicet, cuius causa eos pertulimus, id imperfectum relinqvamus. Qvid stultius, qvam in arando, inutilia extirpando, occando, semen spargendo tulisse multa, aestatis calorem et messis sudores nolle perferre. Frustrane tot sumptus fecerimus? Tergane vertamus, iam victores. Certum itaqve, fiducia divinae misericordiae, qvidvis potius experiri, qvam ante oculos positam Palaestinam, et pedibus nostris tactam terram sanctam relinqvere: si modo literas salvi conductus a praesidibus accepero, qvod aliis contigit. Qvi est me secuturus, hunc casus complectar in omnes: sin qvis est abiectiore animo, ei liberum fuerit, hic expectare, dum lustratis sacris redierimus. Deus auspex propositum nostrum fortunet, et successus det secundos, cuius ductu ad hoc delati littus sumus. Qvatuor allatis publicae fidei literis et animosi Principis hortatu laeti, omnes ire una ardent. Numerato igitur tributo 16. Ducatorum a singulis, ut convenerat, missa celebratur, sanctis omnibus, et Dei omnipotentis ope, atqve spiritus sancti auxilio et ductu in partem laboris vocato: navemqve

egre-

egrediuntur peregrinatores, et in ſtabulum aſinorum numerati immittuntur, et ſuum ſinguli patrisqve nomen profeſſi, ablegantur in cellam arcuatam. Ioppe ſtatio navium, nobiliſſima urbs qvondam fuit, nunc vocata Iaffa, extructa, ut ferunt, ante diluvium: aiunt omnium fuiſſe antiqviſſimam. Bis autem vaſtata et everſa a Templariis: celebris eſt ex actis Apoſtolorum, qvibus Thabitam famulam eo loci Petrus ex mortuis resuſcitaſſe ſcribitur, ibiqve aliqvantiſper habitaſſe: eoqve Ionas confugiſſe creditur, iuſſus ex mandato Dei praedicere exitium urbis Ninive. Nunc rudera eius vix conſpiciuntur, fracta atqve diruta, et ſuperſunt duae turres, et hypogea qvaedam. Praeſides iuxta eam tentoria figunt: alii pagani, audito, peregrinatores adeſſe, eo confluunt, et cibaria et alia deferunt. Hinc pedem nusqvam ferre cuiqvam licet, niſi paganorum conſenſu. In ſtabulo dum aſini adducerentur, ubi expectaſſent, Ramam tendentes, haud procul ab oppidulo aberant, cum barbari e pago ruentes, utriusqve ſexus et aetatis homines tumulum occupant, qva praetereundum erat, lapidesqve et ſaxa in advenas coniiciunt, dentibus frendent, et ſua lingva inconditum qvid iracunde ſonant. Rama olim floruit, et in hunc diem mercatura eſt freqventata, et abundat fructibus: abeſt a Ioppe milliaribus duobus Germanicis. Qvinto Calendas Auguſti Ludiam veniſſe peregrinatores, ſcribit autor huius Diarii, ubi capite plexus Divus fertur Georgius: ibi templum ſteterat, ut veſtigia indicabant, ſane pulcrum: pars muri erat reliqva, non exiguae altitudinis, et ara ſub hac ſpelunca, in qva Martyr truncatus eſt: diſtat inde hic locus dimidio milliari. Ramam inde revertebantur ob indulgentias, qvae in poteſtate erant Ethnicorum: inde via plana et expedita primum progrediuntur, in aeſtu ſolis maximo: ad qvem poſtea accedebat via aſpera ſaxis, montibus difficilis, donec Emaunta veniretur, qvod caſtellum ex Luc. 24. cap. eſt notiſſimum. Anteqvam autem Hieroſolyma adirentur,

Arimathaea, eſt, Samuelis ſepulchro nobilis, et Ioſephi virtutibus celebris. Circa 4. poſt meridiem ſanctam urbem adierunt, iuxta coenobium hoſpitium ingreſſi. Pridie Calendas Auguſti, fratres montis Sionis ſummo mane peregrinatores excitatos ad templum ducunt, iuxta qvod lapis eſt, ubi Chriſtum in deliqvium animi incidiſſe fabulantur: ante templum qvatuor ſunt ſacella, fracta tamen, alterum dedicatum honori ſanctae matris, ſecundum omnium angelorum, tertium Ioannis Baptiſtae, poſtremum Mariae Magdalenae.

Deſcendentibus per longam plateam ad domum S. Veronicae, a templo ad dexteram eſt divitis Epulonis domus in huius plateae exitu, platea alia, in qva crux Simeoni Cyrenaeo eſt impoſita: ad dexteram domus, in qva lamentabantur mulieres Chriſtum: eadem via ſacellum fractum in loco editiore, qvo ſtans mater, videns praetereuntem filium, in deliqvium animi incidit: nec longe inde euntibus per fornicem offeruntur duo lapides, qvorum uni Chriſtꝰ, alteri Pilatus inſiſtebat, cum Iudaeis Chriſtum flagris caeſum et ſpinis coronatum oſtenderet: nec abeſt procul ludus, qvem freqventavit mater Chriſti: domus item Pilati, in qva nunc et iudicia exercentur, e qva, reus voce Pilati, et inſanis populi poſtulationibus, ducebatur ad ſupplicium: ad hanc nulli Chriſtianorum aditus datur, qvi muro inde arcentur: ad ſiniſtram domus Herodis, qvae ipſa qvoqve peregrinis clauſa eſt. Neqve longe abeſt piſcina probatica, cuius aqvam angelus Domini commovit. Idem ad dexteram templum Salomonis, clauſum Chriſtianis: ad ſiniſtram aedes Ioachimi et Annae, Chriſtianis clauſae. Hinc porta eſt extra urbem ducens, ante qvam Stephanus lapidatus perhibetur, in clivo montis, ubi adhuc lapis praegrandis conſpicitur.

Extra urbem haec fere ſunt: Torrens Cedron in valle Ioſaphat, qvem tranſierunt cruce Domini uſi pro ponte multis ſeculis: in valle Ioſaphat ſepulchrum Mariae, ad qvam deſcendi-

ditur gradibus XLVIII. in ſacello admodum auguſto. Exeuntibus e templo XII. gradibus, offert ſe mons oliveti: hinc egreſſis oſtendit ſe porta aurea, per qvam invectus in urbem die palmarum; locus, qvo captus fuiſſe perhibetur, lapidibus obſtructus eſt: in Clivo montis Oliveti Mariam ad coelos aſcendiſſe monachi nugantur, tradito Thomae cingulo, cui Mariae diſceſſus ſignificatus paulo ante fuerat, non longe inde, allato ramo oleae, Mons oliveti qvaſi penu eſt omnium indulgentiarum, nomine totius Galilaeae, qvam intrare, metu latrociniorum non eſt tutum. Aſcendentibus montem ad dexteram, fuit templum ingens qvondam, nunc vero vix rudera ſuperſunt: reliqvum Sacellum, in cuius medio lapis, cui veſtigium dextri pedis Chriſti, ad coelos aſcendentis, impreſſum fertur, ſub ſacello tumulus Pelagiae: ad huius montis radices fere Chriſtus docuit: Beati pauperes ſpiritu. Eſt ibidem ſepulchrum Abſolonis: ad ſiniſtram rudera conſpiciuntur templi cuiusdam, iuxta qvod rapere voluerunt Mariam Iudaei, cum mortuae funus efferretur: hic delituit Thomas ille incredulus, donec ſurgeret Chriſtus a mortuis: neqve procul abeſt monumentum Zachariae.

In monte Sion, gradibus tredecim deſcenditur in templum: ſub altari ſummo locus eſt, qvo cum diſcipulis Chriſtus comedit agnum Paſchalem: ad dexteram ara, ubi pedes lavit diſcipulis: ad ſiniſtram extra templum, ſummum ſeu primarium ſacellum eſt, in qvo ſpiritum ſanctum effudit in Apoſtolos ſpecie viſibili. In templo ſacellum ſanctae virginis: iuxta aram mediam locus, qvo die reſurrectionis ſe matri vivum exhibuit: ad ſiniſtram iuxta aram crux ſtetit, longo tempore poſt reperta: ad dextram cancellis ligneis ſervatur incluſa pars columnae, cui alligabatur Chriſtus flagris caedendus. Exeuntibus e ſacello rotundus lapis in medio perforatus, ubi ſpeciem hortulani indutus conſpectus eſt. Vlterius pro-

progreſſis locus offertur tenebroſus et concameratus, qvo cuſtodiebatur Chriſtus, dum crux pararetur. In monte Calvariae fovea reliqva eſt, cui inſerta crux fuit, Sacellum ab aliis aedificiis ſeiunctum, et omni ex parte liberum, in qvo ſepulchrum eſt Domini, humile ſane et parvum, orgyiam paululum longitudine exuperans, undiqve marmore incruſtatum, ne qvid avellatur: ei templo nulla alia lux infuſa eſt, qvam a lampadibus, qvae materia perpetuo et aeterno igni ſuppeditata foventur. Ante eius fores ſaxum iacet, cui inſediſſe angelus dicitur, nuncius reſurrectionis.

A monte Calvariae verſus occidentem deſcendendo, eſt Golgatha, in qvo apparet rupes illa, qva crux ſtetit, Euſebius libro 9. capite 6. a galgal, id eſt a volvendo, et a multitudine craniorum dicta. Diſtat autem mons Calvariae, in qvo Chriſtus eſt crucifixus, ab urbe qvinqvaginta paſſibus, verſus Aqvilonem. Hunc montem Adrianus indidit urbi, muro cingens et moenibus.

His ordine magnoqve ſtudio luſtratis, pernoctare iubentur in templo a ſacerdote, aperte denunciante abſolutionem, et monente, ut ſe praepararent ad ſacram Synaxin, et ut ſinguli confiterentur: media nocte fratres ſacerdotes miſſam cantant, in ipſo monumento, et in monte Calvariae, eamqve ad lucem usqve producunt. Sole exorto monachi, qvorum tenent lignea vincla pedes, ut ait Pontanus, in Calvaria miſſam cum celebraſſent, ad ſacram Synaxin peregrinatores acceſſerunt, Calendas Auguſti. A meridie in templo ad ſepulchrum Domini Eqvites auratos creavit Saxoniae dux ſeptuaginta, gladio leviter decuſſatim feriens humeros, eiqve illum tradens, qvi creabatur, ut illo ritu admonitus pro defenſione ſui principis, religionis, ſubditorum, pacis, reipublicae eo uteretur. His confectis, reqviem (ſic Pontificii appellant cantiones funebres et naenias, qvibus defunctis qvietem precantur)

cane-

canebant fratri cuidam, ſocio itineris, in monte Calvariae mortuo. Dimiſſi e tumulo Bethlehemum abeunt, qvod diſtat Hieroſolymis milliare unum cum dimidio: media via congeſtus eſt acervus lapidum, in modum aggeris, ubi ſtella iterum Magis apparuit, diſcedentibus Hieroſolymis. Non longe domus Eliae: locus unde ductus Habacuc: Domus a Iacobo aedificata poſt reditum e Meſopotamia, qvo e patria fugiens Eſavi fratris minas et tyrannidem fugerat: tumulus item Rachelis ex partus difficultate mortuae.

Bethlehemi templum eſt Mariae virginis, pulchrum et venuſtum: deſcendentibus ad ſiniſtram gradus viginti ſpelunca offertur, qvam Divus Hieronymus incoluit, religioſae meditationi et verſioni ſacrorum Bibliorum ex fontibus Hebraicis intentus: incoluiſſe autem fertur annos ſexaginta ſex: ibidemqve mortuus et ſepulturae mandatus: alii ſpecum fuiſſe ſcribunt, in qvo natus fuerit Chriſtus, eo recedente Maria, qvod in publicis hoſpitiis non eſſet locus. Ad aram primariam alia eſt, in qva circumciſus eſt Chriſtus conſvetudine et ritu ceremoniarum veteris teſtamenti: ad ſiniſtram ara itidem alia, ad qvam Magi munus ſuum adornarunt, Chriſto infanti offerendum. Si deſcendatur, per gradus undecim, ſpelunca conſpicitur, ſacello egregie ornato et conſtrato marmore: ad dexteram ara, iuxta qvam Maria Chriſtum eſt enixa: neqve procul inde locus praeſepis ad arae dextrum latus, in receſſu interiore. Innocentes infantes in loco concamerato aſſervantur.

Tertio Non. Auguſti montana petuntur, domus Zachariae, qvae Bethlehemo abeſt milliari uno, ad qvam ſpelunca eſt, in qva Ioannes Baptiſta latuit metu Herodis. Ad radices fere montis fons, prope qvem mutuo complexu ſe invicem ſalutarunt Maria et Eliſabeth. Zachariae templum nunc a paganis abrogatum, factum eſt ſtabulum aſinorum et boum.

Reverſi in urbem, in templo iterum pernoctarunt.

Abeſt Iordanis fluvius ab urbe ſeptem milliaria Germanica: metuentes autem pagani hoſtium incurſiones, ſalvum conductum peregrinatoribus negabant.

In domo Caiphae lapis repoſitus eſt ille grandis, qvo munitum fuit Chriſti monumentum: praeterea ſacellum et ara.

Vallis Siloe fontem habet profundisſimum, ex qvo faſcias lavit virgo Maria. Ibidem a Manaſſe diſſectus Eſaias ſerra lignea, et ſepultus eſt in agro empto de pecunia cruenta et ſangvinaria.

Bethaniae domus Mariae Magdalenae diruta eſt, parietinis tantum apparentibus: in reditu ad urbem domus Marthae: hinc paulum digreſſis occurrit domus Lazari, qvi a Chriſto in vitam fuit revocatus ἤδη ὄζων τεταρταῖος: cuius domus ſedem occupavit templum nobile ſepulchro Lazari.

Cum non pateret acceſſus ad Iordanem hoſtilibus incurſionibus infeſtum, iterum per vallem Ioſaphat tranſire placuit, ad templum Mariae.

Octavo Idus Auguſti, nocte concubia et fere media, itineri accincti, dimidio ferme viae ſpacio confecto, ante ſolis ortum, circiter horam ſecundam, Rhamam redeunt, numerati hoſpitium prius occupant, iuſſu paganorum praebentium cibum et aqvam. Hic totum diem detinebantur, qvod non conveniret nauclero cum paganis de mercede pro aſinis meritoriis, et aliis. Accedebat impedimentum aliud abitum avide urgentibus. Nam fama percrebuerat inter ethnicos, fuiſſe inter peregrinos reges duos, qvibus inveſtigatis mulctam importune poſtulabant a nauclero, qvi eam rem disſimulaſſet. Vt vero tandem res dirimeretur, ducibus paganorum patronus tres veſtes qvisqviliatas, et aureos aliqvot promittit: ceteris praemia peregrinatores pollicentur, darent modo operam, ne qvid morae abire feſtinantibus iniiceretur. Eodem die vis orta a qvibusdam apoſtatis Mamaluchis, tumultus cauſa

exti-

extitit in hospitio, ut fores obicibus et repagulis essent muniendae adversus violentam impressionem. Qvinto Idus praeter mercedem, honorarium postulantes pagani, qvorum asinis usi peregrinatores fuerant, extorserunt a singulis ducatum cum dimidio. Ad pagum ubi ventum est, unde tumultuose ante proruperant viri pariter et mulieres, pueriqve et senes, iracundis animis, vultuqve torvo, lapidibus iterum peregrinatores impetunt, verbera infligunt, manticas, ascoperas auferunt, ex asinis excussos deturbant, tanta violentia, ut nec ullum ducem veriti, viam sane longam inseqverentur, nec spes esset celeritate evadendi, asinis, pro sua natura, pedes lente moventibus. Ita aegre sub solis occasum Ioppam pervenitur, et vix obtinetur magnorum munerum pollicitationibus, ut principem, qvem solum incolumem omnes optabant, nautae transmitterent, primariis Ioppae pernoctantibus perqvam plurimis, qvadraginta fere, qvi die demum seqventi ducem suum secuti. At ne tum qvidem navigatio, ut sperabant, successit, detento patrono a paganis, ne qva tamen vis illi fieret, qvod in eius salute suam qvoqve salutem consistere non dubitarent, armis nonnulli et gladiis, si certandum forte et dimicando qvaerendus abitus esset, instructi, patronoqve suppetias allaturi, ab hostibus immanibus undiqve circumvento, naviculas duas conscenderunt, et ad littus redeuntes, excensione facta, dimicarunt, ut vix tandem, multis paganorum vulneratis, patronus navem ascenderet. Etiamsi autem polliciti fuerant ei peregrinatores honorarium 50. ducatorum, eo tamen ipse sua se improbitate privavit, adductis in periculum vitae cunctis peregrinatoribus. Omnibus vero paratis III. Non. Augusti, sole iam declivi ad occasum contendente, vexillum sacrum navi est affixum, et, repetito hymno Divorum Augustini et Ambrosii, alacri animo, immani littore relicto, anchoris subla-

tis, ſolverant. Vix e conſpectu terrae ſanctae in altum vela laeti dederant, cum eius diei veſpera moritur Otho a Schidingen, eqves auratus et qvia a terra remoti erant, nec qvando appulſuri eſſent ſciebant, ac ne licebat qvidem neqve ad ſiniſtram, neqve ad dexteram appellere, hinc Turca, inde Sultano Aegyptio minas intentante, eratqve maris unda commoda et fluctibus agitata, qvae ſaevitia ſua curſum inhibebat; nec ferre cadaver auram aeſtivalem poterat: mediae ſcilicet aeſtatis, qva ſol geminatis radiis, dum per eadem loca, qvae aſcendendo calefecerat ante, calorem intendit, in mare proiicitur. Decimo ſexto Calendas Septembris, Cypri urbem Salinas appellunt. Regina Cypri, per viros ſelectos, eqvites duos auratos, ducem excipit, et ſi qvibus hominibus egeat, prompte offert: qvos gratus accipit. Inter Cyprum et Rhodum mare undoſum non caret periculo, eſtqve navigandum per ſinum flexuoſum, nec curſus eſt toto mari, qvo Venetiis Palaeſtina aditur, periculoſior: unde factum eſt, ut die demum vigeſimo nono Auguſti (morati autem fuerant ad vigeſimum usqve propter nauclerum, ſua ibi tractantem) Rhodum attingerent. Qvo audito, ſummus Magiſter ordinis XXX. eqvites ad littus ablegat, qvi ſplendore regio humaniſſime Saxonem exceptum, in aedes magnifice tapetiis et lectis ornatas deducerent. Saxo arcem aſcendit, viſurus Sanctorum reliqvias, qvas ibi cuſtodiri, Pontificii improbe nugantur. Nam monachi ſumum imperitae multitudini vendentes, aſſervari in illa arce perhibent: Brachium Ioannis Baptiſtae, brachium Blaſii, Georgii, Stephani, brachium et manum Catharinae, Clarae, Thomae: Os e cadavere Antonii: caput unius ex undecim millibus virginum, corpus Euphemiae: fragmentum crucis, de qva filius Dei pependerit, paſcha noſtrum factus: Nummum ex iſtis triginta, qvibus venditus eſt iuſtus, qvem vendebant filiis Iſrael: Crucem aeneam e pelvi conflatam,

taiþ, e qva diſcipulorum ſuorum pedes Chriſtus lavit: qvae crux cerae impreſſa, et in mare coniecta, ſedare tempeſtates et motos fluctus componere, anili ſuperſtitione creditur. Conſpectas aiunt duas ſpinas e corona Chriſto impoſita, qvarum unam ſingulis annis florem die paraſceves producere fama fuit. Haec de cruce aenea, ex Breitenbachio referimus, qvi circa annum 1493. in Palaeſtina cum fuiſſet, iter ſacrum deſcripſit: Is vero Mergenthalius, qvem nos ducem ſeqvimur, unam tantum ſpinam nominat, eamqve florere dicit, eo etiam die, qvo terrae conditus eſt Chriſtus, et addit idem procerum cornu unicornis.

Summus Magiſter ordinis, benevolentiam erga hoſpitem, religionis profeſſione ſibi coniunctum, declaraturus, Saxoni gallinas miſit, perdices, lepores, columbas, capras, panem, et id genus alia eſui apta. Ea veſpera mundo valedicens, e vita exceſſit Bernhardus e nobilium Misnenſium Schonbergiorum familia. Sepultus eſt die ſeqvente in coenobio Divi Auguſtini, factaeqve ſunt et in arce, et in omnibus templis inferiarum exeqviae: Sepultus ibidem eſt Conradus ab Amendorff, qvibus, ut etiam ceteris in hac peregrinatione mortuis, ſolutae ſunt exeqviae. His exactis noctu rurſus mari ſe committunt, curſumqve Modonam verſus tenent, urgente id promiſſum Saxone, qvod dederat Nauclerus, ſe recto curſu progreſſurum, qvod diu in Cypro morati eſſent: multum contra tendentibus nautis, ut in Candiam, qvae Creta eſt, irent, qvaeſtus ſui cauſa. Inter Candiam et Modonam, in aere circumferri ſupra aqvas viderunt qviddam inſolitum, formam et ſpeciem referens piſcium: Piſces autem eſſe narrantibus nautis, vero ſimile non videbatur, qvia novum erat et inuſitatum hominibꝰ noſtris. Sed poſtea e datis Principi dono, piſces eſſe allatos didicerunt, qvos, qvia alati ſunt, χελιδόνας appellant, de qvibus Geſnerus: ad lapidis iactum inſtar volucris evolant, ne piſcium maiorū

praeda fiant. Noctu iis partibus internis, qvae rubrae sunt, coloris iucunditate et splendore sandaracham vel cinabarim superantes relucent, videnturqve candentes carbones ore ferre. Modonam allapsi, circa vesperam Henricum Busmanum, nocte praeterita mortuum, sepelierunt, habitis exeqviis. Ventis usi sunt adversis, cum e Modona noctu solvissent, qvibus navem in alias atqve alias partes raptantibus, neqve patronus, neqve nautarum qvisqvam certus erat, aut ubi aut qva ferrentur: difficili tandem et ancipiti navigatione Corcyram deferuntur XVI. eluctati magno conatu e tempestatum procellis. In ea insula naves duae erant, inqve iis mercatores, petentes commerciorum gratia Alexandriam: horum primarii duo Saxonem adeunt, de reditu gratulantur, qvae fama sit narrant, rumorem emanasse Venetiis, ipsos omnes captos et ductos Alcairum: magnumqve ex ea re esse luctum. Discessere tum a nostris Belgae, Britani, Mediolanenses, cum honorifica valedictione, et studii atqve officiorum suorum delatione: dubia fortuna XII. Calendas Octobris Corcyra relicta navigarunt Corsulam usqve, ibiqve qvieverunt unum diem: Calendas Octobris prospero et secundante vento et ad voluntatem fluente, provecti sunt: die altero tempestatem veritus, Nauclerus, renitentibus et principe et pluribus, cursum vertit intra duos montes, et navem firmavit iactis anchoris: nocte concubia tanta tempestas orta, tanta fluctuum et ventorum vehementia fuit, tantaeqve pluviae, ut anchorae duae validissimae fractae dissilierint. Qvod si in alto deprehensi fuissent, iudicio patroni, sine fato singulari, fieri non potuisset, qvin naufragium passi, in universum omnes interiissent: duravit haec procellarum agitatio, sollicitis et de vita dubiis omnibus, ad diei tertii meridiem: tum, Parentium non ausi metu pestis, qvae ibi grassaretur, qvarto Non. Octobris Rovinium veniunt, parvum oppidum, ditionis Venetae, celebre sepulchro S. Euphemiae,

miae, qvam leones veriti sunt attingere. Inde in portum Venetum, cum dulcissima acclamatione omnium mari vasto superato appulerunt. Ibi tum timens sibi Nauclerus, genibus flexis veniam supplex petit, si qva sit in re offensus princeps: reductam a se eius illustrem Celsitudinem per tot tantasqve difficultates salvam et incolumem. Intercedebant etiam fratres, ne vindicaret iniuriam princeps: at ille tristior aliqvantulum et durior, se facturum dixit, qvod aeqvum foret: relaturum qvalem meruisset gratiam et praemia. Taedio longinqvae navigationis, studio ardebant et cupiditate terrae, itaqve parum erant solliciti de sarcinis. Senatores Veneti et Ducis, et suo nomine principi de reditu gratulati, donarunt ipsi hypotrimata, candelas, incensa, aromata, Zaccarum &c. ut moris est. Iterum Andreas Vedraminus, ordine 71. Dux, missis illustribus viris Genteleonibus ex ordine senatorio, suam illi prolixe offerebat benevolentiam, addita excusatione, impediri se medicamentis, qvibus ratione valetudinis uteretur, qvo minus conveniret ipsum, petere autem magnopere, ne eius Celsitudo id sinistre accipiat. Destinatam a se domum, principe non indignam, qvo divertat: non facturum, qvin qvamprimum possit, officii causa eum accedat et benevole colloqvatur, amicitiamqve contrahat. Respondit per Mellerstadium Saxo, ex longinqva peregrinatione se rediisse, vestes tam suas, qvam comitum detritas, nolle prodire in publicum: conduxisse in loco ab hominum freqventia remotiore hospitium, ut solus sit: vestibus refectis, novisqve comparatis, aditurum se ducem. Pridie idus Octobris dux, universo senatu comitante hospitium Saxonis accedit: qvibus obviam egreditur Saxo, et utriqve se invicem officiosissime salutant. Erat dux statura procera, aetate grandi: unde Saxo fertur dixisse: Eligi a Venetis duces, servituti aptos, qvi videlicet secundum leges gubernent, iisqve teneantur. Praesentibus omnibus senatoribus

pro

prodefunctis missam celebrari curavit: hinc supplicationes fieri, pro itinere feliciter confecto, qvibus peractis demonstrarunt fiscum, et thesaurum ex gemmis, auro, margaritis, multis annis collectum, tanti precii, ut vix aestimari possit: paterae sunt ex smaragdo, adamante, Iaspide. Libuit Paduam excurrere, urbem amplam, Venetae ditionis, cuius cives Venetos imitati, fuere humanissimi. Venetiis digressi, navi vehuntur Mestrium: Tarvisio ubi abiissent itinere trium dierum, nunciabatur, Turcas vi maxima invasisse ditionem Hamburgensem: homines ex agris in urbem cum suis confugisse fortunulis. Exploratoribus missis, qvi id certo cognoscerent, Arnsteinium et Solcenmarkum exustum refertur, damnaqve terris tam Caesaris qvam Episcopi illata infanda: qvod si, re non satis caute cognita, iter continuassent, in copias hostiles incidissent. Qvarto Calend. Novembris Kinbergi, sylvam barbarum tolli curaverunt. Audito, redire peregrinatores, obviam Saxoni veniunt 50. eqvi, ex aula Imperatoria: et Neustadio occurrit cum magno comitatu Maximilianus: et eius coniunx Maria, cum suo gynaeceo, curribusqve tribus auratis gratantes reduces, cum summa et honorifica salutatione. Ad significandam laetitiam concurrebant decursu ludicro aulici, et idem eos comitatus et exoptatissima gratulatio usqve ad arcem celebravit. Imperator ipse, comitaturus Saxonem ad hospitium, ab hoc prohibetur. Ne qva deesset materia laetitiae III. Non. Novembris nuptiarum solennitas instituitur, iuncta e gynaeceo pedisseqva aulico cuidam, cum apparatu magnificentissimo, qvi reges decet. Cum enim honore sint eminentiores, splendore etiam ceteros ut anteeant oportet. Postridie nuptiarum Decursio militaris instituitur: nam pro muneris praestantia, et gradus excellentia, non leves magnorum principum lusus esse convenit. Concurrunt igitur Saxo, Hennebergius, Mansfeldius, Zigelheimius. Albertus a Maria Maximiliani

coniu-

coniuge monile retulit, cum materia, tum arte eximium, qvae coram nonnulla petenti, nihil recusavit, abunde pollicita omnia: et abituro Imperatori septem pocula donavit inaurata, Maximilianus vero tres eqvos praestanti forma, phaleris ornatissimo: adiunxitqve discedentibus duces eqvites qvingentos, per Honfeldam, Milcoviam, Ambstetam, Ebelsbergum: et venerunt Puerbachium, patriam clarissimi Mathematici, Georgii Purbachii inde denominati, praeceptoris Ioannis Regiomontani, sub dominatu Comitum Schaumburgiorum, qvorum unus obviam principi prodiit: hinc Scherdingum, sub ditione Bavari Ludovici, post Brunoniam, liberaliter accepti a principe: deinde Burghusio imminentibus prope ab oppido occurrit gratulabundus in prato Georgius dux Bavariae, et Georgii coniunx Ameleis soror Alberti, magno cum comitatu mulierum: de curru et eqvis utriqve descenderunt: post multa vota, et gratulationes blandissimas, arcem Saxo occupavit, sic volente Bavaro et biduum ibi moratus, duobusqve donatus monilibus die Elisabethae, Comite Georgio Novum forum: hinc Landshuttam processerunt: et Ludovicum ducem non satis firma valetudine utentem accesserunt, et perqvam benigne tractatus, donatusqve Albertus duobus eqvis generosissimis, IX. Calendas Decembris Ratisbonam ingressus est: Episcopus Eichstetensis, principem bellicosum, et armis gaudentem, armis donavit, non ignarus, munera, qvibus qvisqve delectatur, ea esse gratissima. Hac etiam urbe post se relicta, qvia diuturnior absentia desiderium patriae movebat, die Divae Catharinae, Ambergam ingressi, qvamvis reditum ad suos maturantes, tamen postridie retenti sunt, ab Othone Comite Novifori, et Philippo Palatino, nec inhonorati abierunt, pignus benevolentiae et amoris principibus qvidem singulis eqvum dantibus, Ducis vero coniuge monile, non exigui precii. Tertio Calendas Decembris, qvi erat pridie Andreae, non parvo numero aulicorum

et ſatellitum muniti, Vunſidelium deducebantur, iuſſu Marchionis, metuentis inſidias a Plauenſi principe: Erneſtus autem, qvi unice fratrem amabat, cum qvo a primis annis vixerat coniunctisſime, percepto rumore de fratris exoptatisſimo reditu, Olsnitium usqve obviam ei procesſit, comite Misnenſi Epiſcopo, et poſtqvam alter alterum in conſpectu habuit, de eqvis ſe demittentes, in mutuo amplexu diu haeſerunt, qvaſi praetermiſſos fructus ſvavitatis, pietatisqve praeteriti temporis omnes exacturi. Cal.Decemb.Zviccaviam introeuntibus mirifico ſtudio omnium aetatum et ordinum, incredibili concurſu totius urbis, a ſacerdotibus, Monachis, ſcholaſticis, ſenatoribus, plebe, virginibus, mulieribus, cum vexillis, ſacris, cereis, Divorum reliqviis, hymnis, obviam itum eſt, deducentibus reduces in templum Beatae virginis: ſimiliqve ſtudio a Chemnicenſibus. Tertio Decembris adventus eorum eſt expectatus ante urbem in plurimam usqve noctem, qva oppresſi retro qvidem ceſſerunt, nihilominus, pluribus locis qvam qvadringentis, ignes undiqve relucebant, et lampades cum in domibus privatis, tum publicis compitis: Nec cedebant ulli Fribergenſes honeſtisſimo occurſu ſuam erga principem bonum declarantes obſervantiam. Vsqve adeo mentes ſubditorum occupat magiſtratuum pietas, et in ſui amorem atqve charitatem excitat erga inferiores aeqvitas. His ad urbem Dresdam appropinqvantibus, praeter Alberti ipſius, et Erneſti Electoris coniuges, omnes cives cum plauſu, campanarum ſonitu, cantibus et laetiſſima gratulatione ad arcem usqve redeuntes ſunt proſecuti, et publice actae gratiae pro ſalvo et felici reditu principis. Sic mille viarum terra mariqve periculis ſuperatis divino ductu, domum reductus eſt, Nonis Decembris, permenſus Germaniam Magnam, Italiam, mare Adriaticum, Ionicum, Creticum, Syriacum, Palaeſtinam, novem menſibus. Etſi autem non ſum neſcius, potuiſſe haec

multo

multo ornatiora fieri et copiosiora, si descriptionibus geographicis adumbrata, vetustioribus historiis amplificata prodiissent: tamen nudam, eamqve simplicissimam et verissimam expositionem seqvi malui, earum rerum, qvae illo anno, in qvo versata fuit narratio nostra, acciderunt, qvam e Breitenbachio, Helffrichio, Scidlitio, Ioanne Ehrenbergio, Daniele Eccelino Aroviensi transcripta coacervare: non qvod horum tolerantiam aut studium reprehendam, digni enim sunt, qvorum fama ad posteros transmittatur: Sed qvia ipsa simplex veritas, sine ullo fuco per se delectare lectorem potest, et suam unicuiqve laudem censemus relinqvendam integram. De toto vero itinere religioso, eiusqve causa, de Divorum reliqviis, de sacris locis lustratis, qvid sit sentiendum, recte ii statuent, qvibus verbum divinitus patefactum fidei norma est: qvo docemur, unicum esse sacrificium, unicum opus, qvo coelum meremur, sacrificium filii Dei, induentis nos indumento iustitiae, et hereditatem vitae aeternae, sua morte acqvisitae, credentibus imputantis.

Venio ad bellum Vngaricum: nisi Europa fato qvodam sinistro afflicta fuisset, arma Turcica inhibuisset, et toto Danubio eiecisset Mathias. Hic enim Turcis terrori erat, qvos ad exemplum Ioannis Hunniadis patris sui, viri fortissimi, et muri instar contra impressiones Turcicas, fatigavit: sed impeditus est eius impetus, et ardor nonnihil restinctus bellis Christianorum principum domesticis, et ambitione. Nam Fridericus Imperator, Mathiae iniqvissimus, qvacunqve sane ex causa, nostrum nunc non est inqvirere, ac ne in proclivi qvidem, coniugium regi, qvod appetebat, negabat, et regnum Boiemiae conferens Vladislao Polono Mathiam praeteribat, foederibus forte confisus Boiemicis et Polonicis. Qva re cetera sapientissimus Imperator, minus caute, virum bellatorem offendens, et in proceres Austriacos severior, Austriae et Germaniae bella attraxit fere exitiosa, et Turcis ad vexandam Vngariam occasionem praebuit.

buit. Nam Mathias anno 77. in Austriam irruens, obvia qvaeqve usqve ad extremos Bavariae fines vastavit, et subegit: Viennam obsedit, Imperatorem ad conferenda sibi regni Boiemici insignia adegit, frustra expectantem auxilia a Polono, collata antea Vladislao, ut iuri suo in regno Vngariae renunciaret, Imperatori extorsit. Initae sunt rationes pacis, sed induciae potius sunt iudicandae. Qvia dum viveret Mathias, domo Austriaca felicior et potentior fuit. Etsi enim reconciliati sunt Imperator et Vngarus, tamen anno ab hoc, qvo haec gesta sunt, tertio per legatos Austriam vexavit, qvod corona Vngariae esset transportata in Germaniam, qvam repetebat, etiam morbo articulari aeger, et anno 85. Viennam post diuturnam obsidionem, occupavit: nova civitate obsidionem adhuc sustinente, qvae et ipsa tamen longius anno armis cincta Mathiae se dedidit. Fridericus Imperator, qva ratione rebus lapsis, et in dies singulos in peius fluentibus, succurreret, ignarus: vidit enim Mathiae omnia cedere, torrentis instar, qvidqvid occurreret, prosternenti, coegit comitia Norinbergae, et iniurias Mathiae conqvestus, qvo in periculo non tam Austria esset, qvam tenebat, ostendit, qvam reliqva Germania, cui Mathias gravis hostis et violentus, immineret. Principes imperii primum qvidem privatam hanc esse causam, ad Imperatorem, et Austriacos pertinentem, asserere: eamqve ob causam, iniqvam sane postulationem videri, ut sumptus imperium conferret: neqve cum Imperio certamen esse Mathiae, sed cum familia Austriaca. Si qvid moliretur adversus dignitatem libertatemqve Germanici Imperii, non defuturos, non modo non sumptus, sed nec sangvinem et vitam qvoqve atqve spiritum, qvem vir qvisqve optimus patriae et communi saluti debeat. Post vero cum hortationibus preces adderet, habita ratione dignitatis Imperatoriae, sumptuum bellicorum partem sunt polliciti. Sed qvi bellum gereret, non erat, alio aliud ad removendum a se periculum praeten-

tendente. Tum oblitus dignitatis ſuae Imperator admodum grandis natu, et cum natura tum aetate ad praeliorum congreſſus, non ſatis habilis, Albertum noſtrum Saxonem, cum lacrymis et amplexibus orare, ne deſineret cumulare priora in domum Auſtriacam merita: in eo ſolo ſpem collocatam recuperandi amiſſa, et reprimendi Mathiam adverſarium, non tam animi fortitudine, qvam fortunae ſucceſſibus et truculentia formidabilem. Alberto non deerant cauſae, qvibus adductus id recuſaſſet, dehortantibus etiam conſiliariis, tamen, qvia avunculus erat Imperator, cui debebat amorem et maieſtate imperii, atqve dignitate nominis Germanici, qvae in Friderico vertebatur, vehementer movebatur, et qvia laetabatur, datam ſibi opportunitatem congrediendi cum viro ſui temporis fortisſimo feliciſſimoqve, victoriae qvaſi ſobole, qvi nihil non ſibi ceſſurum putaret: ſiqvidem nullo bello plus gloriae paratur, qvam contra fortiſſimum qvemqve. Qvare in Auſtriam movens VII. Auguſti, anno 1487. munitiones aliqvot recuperat: verum qvia nec auxilia mittebantur ab Imperio, ut ex pacto convenerat, et bellorum nervi deerant, duo enim tantum nobiles venerant, nec ſatis inſtructus erat, nec audebat ſuos, animo qvidem et armis non inferiores, numero tamen longe impares, Martis aleae committere: itaqve progreſſus eſt Mathias, et moram neceſſariam Alberto trahente, ne exercitum hoſti proderet, Neuſtadium occupavit. Collegit tamen exercitum qvalemcunqve cum autoritate nominis, et celebritate famae e bellis ſuperioribus, tum ſuis ſumptibus, et amicorum, qvamvis ſero commeantium ope atqve ſubſidio. Etiamſi autem non vicit Mathiam, neqve univerſam recuperavit Auſtriam, ad conditiones tamen pacis ſatis aeqvas accipiendas coegit, meruitqve teſtimonium luculentum viri laudati, qvi diceret, hunc Albertum ſolum ſibi obſtare, qvo minus caſtra poneret in media Germania. Addunt autem hiſtoriae in illis induciis faciendis, qvae pace priorum annorum fuerunt firmiores, ſancita durisſimis

conditionibus, convenisse Vngarum et Saxonem in Divi Hippolyti oppido, et, nemine conscio, collocutos de induciarum unius mensis tempore, qvo pacificationis ratio iniretur. Ante conclave autem inter ministros, regis et ducis facto murmure, et altero alterum, ut fit inter hostes, verbis irritante, seditionis metuens consiliarius, fores aperit, tum alter alterius humeris brachium iniecisse, et ambo se mutuo complecti conspiciuntur. Ne vero a pace esset alienior Albertus, multa erant, qvae hortarentur, auxiliorum inopia, impetus Mathiae, et eiusdem felicitas: metus, ne in Germaniam provolveretur hoc belli incendium, et ne occasione hac usus admodum commoda Baiazetes Turca, occupatis bello intestino principibus Christianorum, et in sua viscera saevientibus, se moveret: Pecuniaeqve defectus, qvi tantus erat, ut postulantibus militibus stipendia et hastas atqve ictus bombardicos minantibus, triginta millia nummum de suo numerans, furiosos sedarit. Neqve dubitabat, qvin morbo fractus, bello fatigatus, et longinqvitate temporis mollitus Mathias, ad pacem esset pronior. Itaqve facta pace, arma domum retulit, sed qvem antea Imperator humiliter et supplex etiam profusis lacrymis ad bellum gerendum obtestatus fuerat, eum ne in conspectum qvidem suum admisit: non qvod esset, qvod in fortissimo heroe desideraret, sed qvia conscius sibi male erat, qvi adeo inermem, contra pacta, gentibus ferocissimis obiecisset, et spe auxiliorum deseruisset: et qvia non erat, unde belli impensas numeraret. Accidit autem perqvam commode ista pacificatio. Nam, si productum longius fuisset istud bellum, neqve solertia Alberti sedatum, sopitumqve conditionibus tolerabilibus, et, ut eventus docuit, domui Austriacae frugiferis, non facile sustinuisset bellum Imperator, alterum contra eum ducem, qvi qvamcunqve in partem se converteret, victor rediret: alterum vero adversus Frisios, populum ad seditiones concitandas natum. Nam

non

non ita diu poſt, capto a Gandavenſibus, qvi primas ſibi audaciae partes ſumebant, erantqve ceteris confidentiores, atqve ad facinus tantum paratiores, et a Brugenſibus rege Maximiliano, bellum exarſit in Germania inferiore: ad qvod tollendum, eo duce opus erat, qvi cum Mathia manus conſeruiſſet.

Belgica duo bella geſſit: alterum Imperatoris et Imperii nomine, alterum ſuo et filii Henrici. Ac primum qvidem pro Maximiliano geſtum eſt Friderici Imperatoris filio. Is enim rex Romanus declaratus XVI. Februarii Francoforti ad Moenum poſt acceptam coronam, primum Aqvisgrani XXVIII. Martii (nam ter coronari ſolent Imperatores Romani veteri conſvetudine, primum Aqvisgrani corona Caroli Magni ferrea ab Antiſtite Colonienſi, qva fortitudo et robur ſignificatur: deinde argentea ab Epiſcopo Mediolanenſi, in villa Modicienſi: qva claritas et ſplendor: tertio aurea in Eccleſia Divi Petri ad aram ſancti Mauricii, qva principatus et iuſtitiae dignitas deſignatur) cui coronationi interfuit officii et honoris cauſa Albertus, eqvitatum ducens, omnium, qvi una aderant, ornatisſimum. Roma cum deſcenderet in Flandriam, qvam, coniugio Mariae ex haereditate dotali a ſocero Carolo Burgundo tenebant, contemptus eſt, et tandem etiam captus. Minori enim erat autoritate, qvod contra aliorum imperatorum morem, nulla inſigni pompa conſpicuus, nullo comitatu magnifico ſeptus, nullo exercitu munitus eſſet. Perſtringit enim imperitos, et in oculos vanae multitudinis incurrit externa magnificentia. Neqve vero aliter Maximiliano licebat, ſiqvidem, dum viveret pater, nihil peculii posſidebat, ſuſtentatus munificentia Sigismundi patruelis. Contemptum augebat praefectorum avara iniuſtitia, qvi novis qvotidie exactionibus ſubditos expilabant: ſolet autem vulgus, ſi qvid praeſidium culpa ſit iniurioſum, in principes exacerbari. Eamqve acerbitatem animorum irritabat, imperando non exiguam vim pecuniae, cui

Bella Belgica.

cui ſolvendo eſſe non videbantur, et nonnullos capite truncando: et tacite reſpiciebant nonnulli ad Gandavenſium exemplum, urbem populoſiorem, et Gallis addictisſimam. Nobilitas et ordo eqveſtris nihil recuſabat, qvi indigne ferebant civium augeſcentem indies licentiam: Eccleſiaſtici vero hac conditione, qvantum iure fieret, et ſalva libertate ſua, aſſentiente pontifice: non ad bella, ad qvae non eſſent inſtituti aut edocti, ſed ad aulam et dignitatem regiam. Plebs vero parum ſollicita, qvod ſummo principum Electorum, omniumqve ordinum imperii conſenſu eſſet deſignatus Imperator: qvod non regi ſolum, ſed ipſis gloriae id eſſet futurum et ornamento: qvod arma Imperatoris potentis eſſent metuenda, cuius dignitatem totum eſſe vindicaturum Imperium, ſuae cupiditati obſeqvebatur: furioſe pridie Calendas Ianuarii in cuſtodiam, liberam tamen, depoſcitur Maximilianus a Brugenſibus 1488. et in domo Audientiarii Ioannis de Grosſis novem menſes aſſervatur, multis nobilibus aulicis in conſpectu Maximiliani, ſpectaculo viſu horrendo, trucidatis. Qvo facinore audito, tota commovit ſe Europa: inde arma intentante Imperatore, et univerſa coniurante Germania: hinc cenſuram Eccleſiaſticam, et excommunicationis fulmen vibrante Papa: facinoroſos autem ipſum facinus reddit pervicaciores. Igitur ab inſania neqve nobilitatis elapſae comminationibus, neqve Imperatoris irati vindicta, neqve pontificis diris revocabantur. Cum vitae periculo fiebat, ſi qvis vel musſitaret pro rege: proditor patriae appellabatur, qvi iniuriam principi factam iudicaret. Sed crudeliores ceteris Gandavenſes, qvi nunc blanditiis inſidioſis, nunc vi regem Brugenſibus ereptum moliebantur tradere Gallo hoſti. Fridericus imperator bellum immanibus hominibus denunciat, qvieſcente et ſedente rege Maximiliano, qvi iuramento confirmaverat Brugenſibus, non ſe futurum vindicem, neqve perſecuturum iniurias ſibi illatas. In hoc tumultu

Phi-

Philippus Ravensteinius, qvi nomine Maximiliani iuraverat Brugensibus et qvo autore foedus factum fuerat, ad Gallum Carolum VIII. Ludovici XI. filium transivit, Slusa oppido et arce occupatis et munitis: et robur nobilitatis Germanicae fractum erat oppugnatione Thami, interiecti inter Brugas et Slusam. Albertum multa dehortari poterant ab hoc bello: dissidium inter fratres filios et regem cum Poloniae tum Vngariae: longinqvitas terrae, alienati in conventu Lipsiensi, qvo pecuniam imperarat invitis, subditi: ordinum ditionis suae simultas, cum, habito Dresdae consilio, omnibus adversantibus publice professus est, se contumeliam illatam avunculo, Imperatori, Imperio, bonis, qvieti, vitae ipsi, qva nihil sit carius, longe anteponere: Iturum bonis auspiciis. Qvi nolint se seqvi, maneant: qvi sponte seqvantur, gratiam iis se habiturum. Rebus itaqve domi compositis, et gubernatione commissa Georgio filio natu maximo, annum aetatis agenti decimum septimum (natus enim fuerat anno septuagesimo primo) et adiunctis illi consiliariis, profectus est. Qvamvis autem in itinere audiret, ubi iam venisset in Hassiam, regem custodia liberatum, perrexit tamen, estqve a Maximiliano prodeunte illi obviam extra portam, et ab Imperatore sub ipsis portis, exceptus. Venerabantur enim, ille natu maiorem: hic rebus gestis et fama nominis clarissimum. Ceteris principibus domum repedantibus, Imperator, levibus aliqvot praeliis factis, et Gandavensi agro vastato, invito Maximiliano, qvi sacramenti religione ductus nefas sibi putabat, qvidqvam hostile agere, abiturus, salutem filii Maximiliani, et ex hoc atqve Maria Burgundica nepotem Philippum, natum anno 78. cuius tutelam, ut plane excluderetur Maximilianus terris dotalibus, sibi Gandavenses vendicabant, ut etiam Margaretae filiae commendat, patrem suorum, conservatorem tranqvillitatis publicae Albertum salutat, gubernationi praeficit, belli ducem constituit, urbium

 admi-

administrationem ei soli committit. Arduum onus videbatur: sed arduum magis, deserere Imperatoris avunculi filium publico consensu regem creatum. Iniqve ferebant Flandri externi principis dominium: infesti admodum regi, clandestina coqventes consilia cum Gallo, Philippum malebant Ravesteinium, qvi Slusam tenebat, et exercitui regis imminebat, qvem caesum profligarat ad Thamum. Qvod ubi intellexit Albertus, comitate agendum ratus, neminem fidum deprehendit, et sua consilia prodi. Bruxellenses oppida aliqvot occupant: Ipse Grimberga vi expugnata, de Thamo arte occupanda consilia init: Brugensibus nihil damni infert, ut iuramentum, qvantumvis a rege vi extortum, ne violaret, et commodius, id qvod agebat, perficeret. Petivit autem a Brugensibus se intromitti inspiciendae urbis gratia, et colloqvendi cum primoribus de re magna et seria: qvo impetrato, eqvites praemittit, paratum hospitia et cibos. Credebant Brugenses pernoctaturum ibi principem, nec dubitabant admittere maiorem etiam multitudinem: vel qvia nihil mali suspicabantur: vel, qvia si qva vis fieret, pares se pro civitatis magnitudine et civium copia, futuros sperabant ad resistendum: alii igitur hospitia ingrediuntur, alii porta, qva Thamum itur, exeunt, simulantes id eo fieri, qvod nollet omnes princeps urbe recipi, ne vim cives metuerent. Princeps vero alio flectit, et Brugas nunciari iubet, in diem seqventem suum adventum differri: qvare nec alii eqvites in urbe diutius sibi morandum putarunt. Vbi convenisset eqvitatus universus, Albertus urbem Thamum improviso aggreditur, et, qvia auxilia a sociis sibi mitti Thamienses opinabantur, oppressi subito in potestatem Alberti venerunt arte, qvi expugnari antea vi non poterant: estqve interceptus Brugensibus commeatus, et de pace agitata a Ravesteinio consilia, solutaqve a Brugensibus stipendia militibus, non moneta excusa, qvae nulla erat, sed argento. Insidias, qvas ipsi struebat

Rave-

Ravesteinius, tormentis aeneis latenter dispositis ex utraqve ripae parte, ubi pontem transiturus erat, effugit, sive casu et genio qvodam propitio admonitus, sive solertia militari fraudem deprehendens. Bruxellas obsidet: pecus civium abigit, cives temere prorumpentes caedit. Cum vero stipendium non acciperet ab Imperatore, qvi tum erat in Austria, vel qvia non erat, unde solveret, nec ab urbibus, qvae regem seqvebantur, exhaustis, qvicqvam impetraret: Veteranis tumultuantibus, et ad seditionem omnibus spectantibus anxius animi, consilia primum versabat atrocia et violenta, reprimendi eos ferro: post vero tutius ratus dissimulare et compescere motus animi iracundos, blande milites compellando, et in furorem veluti actos, iamqve ictum tormentorum minantes sedat. In se nihil morae, qvin stipendia accipiant: communem fortunam ne recusent, et propriam expetant: siqvidem Imperatoris id fiat culpa: non ausus dicere qvicqvam contra rebelles et seditiosos, de poenis licentiae: thesauros, et qvicqvid auri argentive facti infecti erat, furiosis offert: malle se egere, qvam milites suos. Nec vero impunis fuit ea seditio: nam in oppugnatiotione Arschoti, maxima pars autorum huius tumultus cecidere, ut nec Arschotiensibus insolentia, qvod scrofa muris imposita, qvae colum tenebat et fusum, tum demum ab Alberto captum iri urbem clamitabant, cum pensum scrofa absolvisset, perqve vicos urbis scrofam egerunt, Bacchi ministris rabiosiores. Dissimulabat ignominiam Albertus, et contra Ravesteinium creditus ire, qvo iter direxerat, retro abiens invadit urbem vino somnoqve sepultam VI. Non. Maii: urbs crematur, ciconiae nido flammas concipiente, incertum unde: primo incursu fit caedes, postea miles inhibetur, civitate misericordiam orante. Hoc casu territi Thenenses, praesidio firmissimo muniti, veniam orant, concussi nocturno Alberti adventu: a caede sibi miles temperat, sed a direptione ut sibi temperaret

in urbe opulentiſſima, in qvam multi alii ſuas fortunas convexerant, ſibi temperare non potuit. Lovanienſes et Bruxellenſes ſimilem veriti exitum, ne militem avarum ditarent, ad ducem legatos mittunt, qvi ſerius ſunt auditi, qvod ab peſte infectis venirent locis, et, qvod maximum erat, ut, qvibus erat iratior, triſtius reſponderet. Reverſos ad regem reiicit, cuius ſit exploraturus ſententiam: die iterum conſtituta, mutata veſte, habitu pullato, ſupplices veniam orant: culpam belli a ſe removent, in praefectorum rapacitatem, et in plebem, qvae ab his irritata fuerit, et inflammata, conferunt: ſe invitos veluti procella raptos in commune pelagus: Nihil recuſare, modo pacem conſeqvantur. Albertus re ſapienter deliberata, accurateqve penſitata, qvia inſtabat bellum a Montfortiis, qvia nondum erat omnino fractus Raveſteinius, qvia metuebat, ne ſupplices, qvi nunc eſſent, abirent in furorem: qvia orabant Flandrorum et Brabantinorum eorum legati, qvia a rege non defecerant: exprobrata ipſis crudelitate in miniſtros regios innocenter occiſos levitate, qvi iuſti principis dominio excuſſi Gallum ſeqverentur, veniam pollicetur, verum his conditionibus, ſi ſe tradant, regios reſtituant, mulctam ſolvant, hoſtes regis Maximiliani relinqvant: ſua omnia ſeqve dedant. Hoc modo rebus in Belgio ſopitis, Norinbergam proficiſcitur, cum praefectis, tum ſubditis, ſui unoqvoqve officii admonito. Annus tum agebatur 1491. cum Norinbergam veniens in ſolenni principum conventu publice fides, fortitudo, ſcientia bellica, meritaqve non tam in domum Auſtriacam, qvae ſint maxima, qvam in ipſum imperium, commemorata ſunt ab Imperatore: qvi ſolus ſuam vitam, ſuum corpus periculis hoſtilibus et ſangvinem obiiceret: ornatusqve aurei velleris inſigni, qvantum eſſe poteſt, honoris et benevolentiae pignore maximo: in qvem ordinem non recipiuntur, niſi intimi. Conſvetudo enim eſt principum, ut peculiari ſocietate et ordine conſtituto,

cer-

certisqve legibus devincto se eius principes et magistros faciant, et non, nisi qvos habent fidissimos, et virtute atqve fortitudine perspectos sibi asciscant. Ita Aurei Velleris ordo coepit: sive Ioanne Nivernensi, Caroli VI. Regis Galliae agnato, sive Philippo Burgundo autore, sive alio: Varia enim scribuntur. Albertus II. Imperator Draconem gessit, cruce capiti infixa, eoqve insignivit Adolphum Ducem Schlesvicensem, et Schaconem Ranzovium: Ioannes Moscovitarum Imperator anno 57. ordinem crucis caelestis et rosae unionibus ornatae, fundavit, de cuius catena qvadraginta duum articulorum, imago dependet Christi triumphantis et ad coelos ascendentis: Fridericus II. Rex Daniae ordinis sui insignibus utitur Elephante turrito e solido auro: qvo praeter ceteros conspicui sunt, Petrus Danielis, qvi bellum gessit Friderici II. Regis Daniae nomine et auspiciis adversus Ericum XIV. regem Sveciae, frater, et Henricus, Ioannis Eqvitis aurati filius, de nobilissima Ranzoviorum familia. Suntqve exempla alia. Peractis Comitiis Dresdam secutus est tres filios, qvos Norinbergam ad se evocarat, et urbi incubuit instaurandae, qvae, praeter famis malum, qvo Germania universa fere affligebatur, Die Viti, a pistore, in platea Minore textorum, orto incendio, ultra dimidiam partem, una cum templo S. crucis in cineres iverat. Appetente hieme, Lipsia, eo enim paulo ante abierat, relicto Georgio, discedens, rediit in Brabantiam, ducens secum filium Henricum, et misso Senas in Italiam studiorum causa Friderico. Reversus in Belgium VVordam, a Monfortiis defensam, obsidet, et deditione post mensem qvartum recipit: Monfortum ipsum acriter oppugnatum subiugat. Harlemum oppidum Ravensteiniana factio Phrysiis evertendum commiserat, ut a defectione ad Saxonem alii deterrerentur: qvi pro aqvila panes, pro leonibus caseos ferebant in signis militaribus, ii ex insidiis cum se proripuissent, omnia foede diripuerunt,

 vasta-

vastarunt, everterunt, perdiderunt: sed ex improviso Alberto occurrentes caeduntur,qvi Harlemio recepto,castrum extruxit, cui a Saxonibus nomen fecit,et praesidium Misnense imposuit. Hinc invitantibus Ziriciensibus se contulit in Zelandiam. Est Ziricea urbs unius insularum Zelandicarum, Scaldiae videlicet, a Scalde flumine praeterfluente sic nominatae: extructa in formam civitatis tempore Lotharii Imperatoris, circa annum 849. ut scribit in illa ipsa urbe natus Lemnius, et a parvis initiis in eum splendorem adaucta, ut cum urbibus clarissimis exaeqvetur. Huius civitatis tam potentis, et fidae amicitiam non putavit repudiandam. Et qvia domitae videbantur ferme omnes provinciae, inter eundum contendens Mechliniam, agrum Gandavensem vastat, opera Henrici filii. Veriti graviora cives, senatum cogunt ad petendum veniam: centum ex omni numero lecti, factiqve Duci supplices, vix aegre gratiam impetrant. His etiam domitis Slusa restabat: qvae a Ravensteinio in sextum usqve mensem defensa, dedita tandem est: cum obsessis, tum obsidentibus minus feliciter agentibus. Obsidentes enim premebat firmitas arcium et munitionum, commeatus in urbe et rerum necessariarum copia: iactus tormentorum inanis, ob loci distantiam, foris rei frumentariae inopia. Qvibus victis, nam et alteram arcem disiecerant,et fruges comportarant, et viam ad moenia aditumqve propiorem aperuerant, spem victoriae conceperunt. Intus Ravesteinius fatigabatur flagitationibus civium, ne omnes perderet non solum insontes, sed etiam bene de ipso meritos: indignatione et fremitu cruciabatur militum, peste insuper saevissima. Itaqve qvamvis invitus,extrema qvaeqve passurus,si licuisset,inermis Alberto et supplex, se et urbem dedit. Omnibus in hunc modum compositis, literis Alberti in Flandriam evocatus Maximilianus, patrem audit mortuum VII. Calend.Octobris,anno 1493. Domum igitur rediens,patri parentat,praesente Alberto:

et

et comitia indicit poſt biennium VVormacienſia, qvibus praeter Albertum interfuerunt Duces Saxoniae Fridericus Elector, Sapiens poſt dictus: et Ioannes frater Electoris: Georgius, Henricus, Fridericus Alberti filii: qvibus inprimis conſpicuus fuit Albertus, et ſtupori, canicie venerabilis, et nominis fama ſpectatisſimus: qvi cum compellaretur, ut in Italiam ſeqveretur Imperatorem, non renuit: ut Ducem ſe omnium nomine contra publicum hoſtem Gallum deſignari pateretur: grata qvidem fuit ipſi gravis haec de ſua virtute exiſtimatio, tantum tamen onus, ſuae ſenectuti impar recuſavit: nihilominus prolixe omnia et cupide patriae impenſurum, nec Reipublicae defuturum, affirmavit: petitqve ſibi reſtitui ſumptus, in bella Belgica factos: qvod cum aulici protraherent benigne tantum pollicendo, Albertus morae tam diuturnae impatiens, in agro Mediolanenſi ipſum Imperatorum ea de re convenit. Transacta vero demum ea res penitus eſt, defuncto iam Alberto inter ipſius filios, aliqvot annis poſt. Incidit autem in illa tempora expeditio in Carolum Geldriae Ducem, Adolphi filium eius, qvi, qvod patrem in vinculis habuiſſet, immatura aetate ad Tornacum cecidit, ſed revocatus bello Helvetiorum Maximilianus, qvi terras domui Auſtriacae ſubiectas armis invadebant, anno 1499. circa finem Feb. curam rei gerendae Alberto Saxoni, Georgio Bavaro, VVilhelmo Iuliacenſi, et Ioan. Clivenſi commiſit: ſolummodo autem terra Geldriae vaſtata eſt, et, qvia proferebatur qvotidie ſolutio ſtipendiorum, milesqve (qvem Gvardiam appellabant, ex diverſis populis et nationibus militem, Germanis praecipue, Svevis, Italis, Bavaris, Helvetiis, Francis, Gallis, Saxonibus, Lombardis, Geldriis, Hiſpanis, Brabantinis, Scotis, addunt, et Aethiopibus, qvi videntur fuiſſe ex regno Granatae et Beticae, qvi militarunt Alberto, Maximiliano, Duci Geldriae, Ioanni Danorum regi, magno Duci Saxoniae inferioris) in agrum Iuliacenſem et Clivenſem excurrens,

omnia

omnia evertebat: igitur certis conditionibus pacem fecerunt, et Albertus gubernationi Phrysiae, qvam in compensationem laborum, sumptuumqve et in praemium ingentium meritorum, acceperat ab Imperatore, qvamvis dissvaderent consiliarii, ne induci se pateretur, gentem esse immanem et feris similem: has terras viris, armis, pecunia exhauriri, longe esse sitam provinciam: ab Imperatore illud agi, ut domus Saxonicae potentia populi feri armis attereretur, ea arte, qva hostibus obiectus Carolus Burgundus totam domum suam subverterat: plusqve impensarum fore, qvam redituum; praefecit tamen gubernationi filium Henricum, adductus his rationibus, qvod imperio auderent adversari: qvod Selandiam, imperatoriae iurisdictioni subditam, armis aggredi non vererentur: qvod expeteretur ab Idzardo, qvi Eduardus est, idiomate Phrysio appellatus Edizardus, Comite Orientalis Phrysiae, et Hugone Comite Embdano: qvod ipsae inter se dissentientes urbes victu faciles essent: non autem esse rationem rei bene gerendae meliorem, qvam hoste odiis intestinis laborante. Itaqve post occupata aliqvot oppida, in ea parte occidentalis Phrysiae, qvae, qvod ad occasum tendit, VVestgovia dicitur (nam altera Ostgovia appellatur) et imposita praesidia, siqvidem fluxa est fides harum nationum, domum rediit. Ecce autem subito mutatis animis, et contempta aetate Henrici, agebat enim tunc temporis annum aetatis decimum septimum, qvi non eo, qvo pater ardore arma circumferret, siqvidem pax videbatur stabilis, principem obsident, et mortem minantur. Albertus, tanto facinore audito, coactisqve eqvitibus, continenti itinere in Phrysios: irarum plenus et vindictae ardens cupiditate, hostibus nihil tale somniantibus supervenit, tanto terrore iniecto incolis, ut, non conspecto duce, solius nominis fama disiecti, fugam caperent, et latebras in locis palustribus circunspicerent. Atqvi temere facit, qvi potentioris iugum recusat, pugnam

gnam nihilominus timide pro se suisqve fortunis detrectat. Liberato filio Henrico, Groningam Albertus ducit exercitum, in ea vel dedita vel occupata cardinem victoriae verti reputans. Dum autem haereret victoria, nam natura loci palustris urbs erat munita, et commeatu instructa, et armis valebat: in ipsa tractatione pacis, intercesſione Episcopi Traiectensis, dum conscriberetur forma conditionum, de reditu in Saxoniam cogitans, in castris morbo correptus, et febri, ex animi et corporis continua defatigatione contracta, Embdam se deportari iussit: et sibi moriendum ubi vidit, causam Idezardi Comitis filiis commendavit, qvem Groningensibus invisum sciebat: Idezardo et praefectis filios; mortuusqve est, cum paululum excesſisset annum Climactericum 56. ut est apud Ranzovium, Pridie Idus Septembris, et ad maiorum tumulos transportatus Misenam: funus procurante Ioanne Pincerna Tauteburgio, orationem funebrem habente de rebus ab ipso gestis luculentam Ioanne Hennigio Haynensi: Exeqviae celebratae sunt die Mercurii, qvi Conversionem Pauli proxime seqvebatur, Anno 1501.

Recensuimus bella tantum, non descripſimus, qvibus vel cum imperio fuit, vel ordines honestos duxit: omisſis aliis, qvibus non tam functus est Ducis loco, qvam auxilium amicis tulit: pro qvibus nullum sibi detrectandum putabat periculum: cum Duces Saxoniae foedere essent coniuncti Brandenburgensibus, qvi ad domus Saxonicae et Hasſicae fraternitatem accesserant Anno 1457. eos sibi non deserendos statuerant. Qvare adversus factionem Stelmeiserorum, proxime ab obitu patris auxilia tulerunt Marchicis fratres: auspiciis VVilhelmi patrui. Item adversus Saganenses. Albertus suo socero Georgio adversus Austriacos, qvos concitarat Mathias, qvem furiae Pontificiae ad bellum contra Georgium inflammabant, declaratum haereticum a Paulo II. Tunc Albertus, cui sua auxilia addiderunt Brandenburgenses, suo corpore hostium impetum sustinuit,

et Boiemos iam mactandos, aut comburendos sua virtute defendit.

Anno 1488. Boiemis a Friderico Lignicensi dissipatis, et frigore in agro enectis, bello Glogoviensi excitato, insania Ioannis Saganensis, transitum per Misniam dedit, et Sprottam usqve obviam profectus est. Erat enim tum hostis Mathiae, qvi Silesiae Fridericum praefecerat, qvod oppugnaretur affinis ipsius Henricus Monsterbergensis, Georgii Bodiebratii, cuius filiam Albertus coniugem habebat, filius. Ac suas qvoqve provincias muniendas intelligebant, qvod suspecti essent Mathiae, ut qvi consilia contulisse credebantur cum Ioanne Saganensi, qvi auxilia petierat a Casimiro Polono. Qvin et hoc agebat Mathias, ut bello domestico distenti, ne Caesari, qvem infestabant, auxilio esse possent Principes. Verum nec animus illis defuit, copias aggrediendi Mathiae, in Lusatiam superiorem missas, ut fines Misnenses invaderent: nam multos hostium ceciderunt: nec fidem erga Imperatorem passi sunt a se reqviri. Reconciliatus autem Mathias est, attamen honestis rationibus, sine detrimento Imperii, a Ioanne Episcopo Varadiensi, 1489.

Anno 1476. XXVII. Februarii, mortuo Henrico ultimo Glogoviensi, qvi Barbaram coniugem, Alberti Achillis Germanici, Electoris Brandenburgici filiam, qvod sine liberis discederet, heredem totius ducatus instituit: de eo ducatu contendebant Mathias Vngarus, Marchiones tuentes Ius Barbarae, Vladislaus Boiemus, Ioannes Saganensis: inventa tandem ratio est, qva contentiones dirimerentur, ut Barbara nuberet Vladislao, et dotis loco traderetur ducatus possessio. Deserta autem Barbara ab Vladislao, Ioannes ius suum statuit armis proseqvi. Qvare misere vastatus ducatus est, qvod Albertus etsi militari esset ingenio, tamen ad arma rem venire nolebat, nisi coactus, non tam qvod Ioannem Saganensem, iam pene

Sile-

Silesia extorrem vereretur, qvam qvod Mathiae armis hic fulciretur. Est autem sedatum hoc bellum, Anno 1479. a principibus Saxonicis, qvorum virtutem cum Mathias, tum alii principes plurimi faciebant.

Incidit autem cursus ipsius in tempora periculosissima, et aetatem vere bellicosam, ut appareat, fato qvodam propitio res nostras respiciente datum hunc principem, qvi et autoritate valeret, et animo inter tela hostilia volitandi armatus esset: qvi unus impetum hostium circumiacentium, et imminentium Germaniae, patriae nostrae cervicibus et libertati, fortiter sustineret, suam ipsius salutem discrimini exponendo, et arma suo corpore excipiendo: qviqve nihil carius aut antiqvius duceret, qvam dignitatem Imperii, sangvine maiorum partam, suo sangvine tueri. Qvin et dixisse fertur, nihil habere se magis in votis, qvam ut liceat in Turcas Christiani nominis hostes arma ferre, aut etiam, si Deo ita visum fuerit, oppetere. Sed obstiterunt tum bella propiora et domestica, qvibus distentus, hostem illum aggredi non licuit.

Nec vero, in armis praestantior, qvam in toga: qvi aedificiis terras suas exornavit, metallis inventis ditavit, honestae disciplinae consuluit: concordiae et tranqvillitatis domesticae causa nihil non egit: superiores coluit: in suos fidelis et pius: in subditos humanus: erga omnes aeqvus, et apertus. Fratri adhibitus in consilium leges conscripsit, qvibus modus conviviorum et ciborum praecipitur, ad coercendum luxum, et prodigalitatem, qvae mater est miserae paupertatis, tollendam. Reliqverunt tamen coenas Saliares Clericis, qvi tum temporis legem putabant se tenere nullam: interdicta oenopolia, qvibus alter ab altero ad potandum invitatur, cum contemptu Dei, detrimento facultatum, animae exitio: latae sunt leges vestiariae, pro ratione opum, conditionis, ordinis. Praeterea de servitiis, de ministris, opificibus, mercede servientibus, mutata

Opera Alberti tempore pacis.

moneta, interdictum nobilibus, ne exercerent cauponariam, et inſtitoriam, indignam ordine eqveſtri: nec ferrent opifices, qvi artibus mechanicis, unde vivunt cives, et tributa ſolvunt principibus, ſunt nocumento. Praeterea reſpectu habito peregrinorum, hoſpitibus leges certae, et modus ſumptuum eſt praeſcriptus. Acta ſunt haec triennio ante mortem Erneſti, et leges arci Dreſdenſi affixae: qvas eorum ſucceſſores, nunc auctas, et, pro ratione temporis, in qvibusdam mutatas ſeqvuntur.

Moderati animi, pacisqve et concordiae amantis, indicium eſt evidens, qvod, etiamſi in rebus gerendis praecipua autoritate fuit, fratri tamen natu maiori, et Electorali dignitate ornato, non tantum non praetulit ſe, verum etiam ſubmiſit, et inter incedendum, paſſu ferme uno fratrem eſt ſecutus: cumqve fratre uno animo, coniuncto domicilio Dresdae, absqve ſimultate et offenſione vixit, ad illum usqve annum, qvo Romam profecto Erneſto, ad ſalutandum Pontificem, unde Roſam retulit auream, dicatam poſtea Eccleſiae Miſnenſi, iniqviores expertus eſt praefectos fratris: qvibus tamen ut cederet, nec cauſa contentionum eſſet, Torgam ſe contulit, et hanc ſedem elegit, delectatus amoenitate eius loci, qvi ſilvis, paſcuis, frumento, cereviſia, piſcibus, fluvio, venationum commoditate, qvae belli ſunt προγύμνασμα, ceteris praeſtaret, vel non eſſet inferior.

Arbiter electus inter ſenatum Magdeburgenſem et Clerum, diſſenſiones ſua compoſuit prudentia, non ignarus, qvantum malorum inteſtinae diſcordiae afferrent. Regiones tantum abeſt, ut diminuerint fratres, etiamſi nunqvam domi ſegnis aut iners, bella ſemper fere geſſit Albertus, ut comparatis urbibus eam vehementer amplificarint, vel armis fines dilatarint. Nam anno 1473, Riſenbergam arcem Boiemiae, et Duxam urbem occuparunt, obſideri coeptam die Mercurii, qvi feſtum Dionyſii antecedebat. Anno 1472. exeunte paulo ante nativitatem Chriſti, aureis Vngaricis 55000. Ducatum Saganenſem,

eme-

emerunt a Ioanne Ioannis IX. filio: qvi, ut exosus erat toti paene Silesiae, ob scelera et crudelitatem contra fratrem suum, ita iniuste triginta millia et unum sibi retinuit: singulis sororibus, qvarum tres erant, mille dedit; qvod supererat, fratri VVenceslao, de qvibus hic victitans omnium summa benevolentia, vitamqve privatam agens Vratislaviae obiit, anno Christi 1488. Nec tamen integram summam primum numerarunt venditori Saxonici principes, sed partem tum demum, cum impetrato Mathiae regis Vngaricae assensu ius possessionis solidum acqvisivissent, qvod factum est Anno 1474. ult. Septemb. Et qvidem salutaris fuit horum principum gubernatio ducatui Saganensi in illis motibus, qvibus reliqva Silesia, et inprimis ducatus Glogoviensis, cui ille qvondam fuerat coniunctus, durissime concussa et afflicta est: mansitqve ducatus sub principibus Saxonicis usqve ad annum 1549. qvo transactione inter Mauricium Alberti nepotem, et Ferdinandum regem, ad hunc Ducatus rediit. Fuerunt iidem principes paraturi Ducatum Olsniciensem a Conrado Albo, qvi non usus propitio Mathia, Ducibus Saxonicis suam provinciam obtulit vendendam 1475. Et qvidem emissent, qvia et pecunia ex felici metallorum proventu abundabant, et apud Mathiam illo tempore gratia atqve autoritate valebant: sed spe, a Mathia facta, exciderunt, praetendentibus callide consiliariis aulicis, paulatim hac ratione ad exteros Silesiam perventuram. Itaqve Mathias Conradum Album gubernatoris dignitate Ducatui praefecit.

Compararunt iidem Bescoviam, Soraviam, Storcaviam a Bibersteiniis, qvae anno 1510. aere soluto, ad Dominos priores revoluta sunt. Praeterea Dolensteinam, eo ipso anno, qvo in spem regni Boiemici Albertus est excitatus. Accessit etiam Alberto Frisia Orientalis anno 1496. cuius gubernatorem dedit Henricum filium. Verum qvia ad seditionem ea gens prona erat, nec sufficiebant reditus illius terrae ad alendos exercitus,

 qvo-

qvorum metu, ferocia eius populi cohiberetur: nec penitus ſubacta erat, erantqve bella in longe diſſitis regionibus ſumptuoſa et impedita: nec parum momenti afferebat mors Alberti immatura, qvae incidit in annum 1500. qvo ſublato, ad ingenium ii populi natura inſtabiles redierunt: Friſia Imperatori ceſſerunt. Domi ſi qvando eſſe licuit, per negotia, Imperii dignitatem atqve ſalutem ſpectantia, qvidqvid potuit ornamenti conferre provinciae, ſtudioſe egit. Arcis Miſnenſis extructionem orſus eſt Albertus, Architecto Arnoldo qvodam VVeſtphalo, qvi etiam pontem Miſnenſem extruxiſſe ſcribitur, qvo anno, videlicet ſeptuageſimo primo, etiam templum Divi VVolffgangi ad Miſnam rivulum conditum fuit, hoc fere tempore deſertum, et ſolius Ioannis Rivii Attendorienſis, viri abſolute docti, tumulo clarum, poſito ibidem monumento a Georgio Fabricio, teſtante erga optimum virum, praeceptorem, magiſtrum morum ſeveriſſimum, (ſic enim habet Epitaphium) grati animi memoriam. Proſpectat ea arx Miſnam rivulum, qvem Meiſſam dicunt accolae, et Albim praeterfluentem: qvi rivulus, ſub ipſis, qvibus arx inſiſtit, montis radicibus in Albim delabitur: arci adiunctum eſt templum magnificum, et ſumptuoſiſſimis principum donariis ditatum: de qvo Fabricius in Annalibus Miſnenſibus accurate, ſicut omnia, et diligenter.

Torgae urbis amoenitate inprimis delectatus fuit. Sita ea eſt in planicie, ſed ita tamen, ut qvamcunqve portam ingrediaris, in collem aſſurgat. Habet in latitudine et poli elevatione (ſi qvid hoc ad rem facit) gradus 51. 30. ſecundum Leovicium: longitudinem vero 30. 36. Praeterlabitur Albis fluvius: adiunctaqve eſt urbi arx magnifica atqve ſplendida, qvam extruxit Ioannes Fridericus Dux Saxoniae Elector, anno 1539. Praeter Albim agros foecundat aqva nigra: ſic vocata a colore, qvem refert, tincta vel peculiari terrae proprietate, vel qvas leniter ſerpendo tranſit, per multas ambages et reflexus, ab alnis,

ut

ut qvorundam doctorum est opinio, qvarum non cortices solum, ad fucandam lanam expetuntur, sed ligna qvoqve eandem facultatem habent. Ex hac aqva, addito hordeo et lupulo, cerevisia coqvitur, de more antiqvissimo gentium septentrionalium, qvae κεντας ὄδωδε, et neqvaqvam hircum olet, ut asseritur invidiose in Graeco qvodam Epigrammate, sed odorem refert aromaticum, nulli impar, dixerim fere, ceteris superior, coloris svavitate, odoris gratia, caloris temperie, effectus vi et praestantia. Aer salubris est: campi a piscinis, vinetis, frumento, pratis, pecore, arboribus, saltibus, feris, non sunt inopes.

Pons extrui coepit sub Friderico Electore III. et Ioanne fratribus Ducibus Saxoniae, Ernesti, qvi frater erat Alberti, filiis, ex dispensatione Pontificis Innocentii VIII. is enim rogatu Principum, esum butyri et lacticiniorum, tempore ieiunii, et aliis diebus, qvibus iis vesci nefas habebatur, liberum permisit, hac conditione, si singuli per annos XX. qvotannis solverent vicesimam partem aurei Rhenani, sic tamen, ut pecunia primo decennio collecta extructioni pontis impenderetur: altero decennio qvarta pecuniae pars Monasterio Divi Petri Romae aedificando: residuum Ecclesiae Paroeciali urbis, ponti, et sacello. Ea vero pars, qvae in territorio Alberti cogebatur, templo collegiato Freibergi dicato 19. Calend. Septembris, Anno 1480. sub Pontificatu Sixti IV. qvarto anno post reditum Alberti e terra sancta, fuit destinata. Est et collatum aliqvid de his reditibus ad extrüendum templum sanctae crucis, coeptum die Gertrudis anni 1493. ipso Friderico primum collocante lapidem, futurum initium fundamenti, anteqvam in Palaestinam profecturus iter ingrederetur. Elapsis vero annis XX. cum non tam ad nostrae terrae aedificia absolvenda reditus non sufficerent, qvam ad explendam Ecclesiasticorum pontificiorum avaritiam, siqvidem dolium vere sunt Danaidum inexplebile, plenum rimarum, hac atqve illac effluens, autoritate Pontificis Iulii II. indul-

indulgentiae istae fuerunt prorogatae in annos alios XX. edito diplomate pontificio, et missis ab Electore Friderico literis ad omnes omnium Ecclesiarum patronos et magistratus, qvibus scriptis VVimariae, additus est annus 1513. et Dominica Laetare, qvi erat pridie Non. Martii, obsignatisqve sigillo Electoris, serioqve edicitur, ut non solum annis secuturis libertatem diebus nefastis edendi prohibita redimant, verum etiam si qvi anno 1512. interiecto, inter finem proprium annorum XX. et promulgationem posteriorem, eam sibi licentiam sumpsissent, nec ius istud certo precio redemissent, a peccatis ne absolverentur, nisi eo numerato, qvod ex pontificia dispensatione sancitum esset. Erat qvidem etiam ante hoc tempus per Albim transitus, sed ponte ligneo, qvi violentia et impetu fluvii ruptus fuit 1342. et 1343. eo loco, ubi nunc est officina tinctoria. Sacellum vero, cuius meminimus, Albi proximum fuisse dicitur, qvo destructo, domus aedificata est ferme ponti contigua, infra pontem tamen. Adeo foecundae fuerunt indulgentiae pontificiae: adeo stolidi homines nostri, ut pecuniam crederent cistae occlusae, cuius clavem non possiderent. Vrbem ipsam antiqvissimam esse, dubium nullum est, cuius etsi coniecturae tantum supersunt (nam monumenta omnia perierunt incendio, Anno 1442. orto pridie Pentecostes, in plateae amplioris, aedibus Carpentarii, hominis incuriosi, et levis: qvi excavando modiolos rotarum, non satis caute ignem tractavit: tota igitur urbs conflagravit, exceptis sex aedibus eius plateae, cui a sacco nomen fecerunt) eae tamen non sunt nullius momenti. Pars turris ad Divum Nicolaum, tempore Caroli Magni stetisse fertur, nec qvidqvam aedificiorum, praeterqvam ea, qvae nunc qvoqve veteris urbis nomen retinent: religionem non fuisse aliam, nisi ethnicam: Coemeterium vero eo loco, qvo nunc culta sunt vineta, non longe ab urbe, ubi anno trigesimo octavo supra millesimum qvingentesimum erutae sunt urnae, operculis tectae, ossi-

oſſium humanorum plenae, ſerente ibi vites Marco Othone cive Torgenſi. Et memoratur Reinhardus Comes Torgenſis ad Albim, qvi Anno 931. tempore Henrici Aucupis, praelio interfuerit. Pugnavit vero eo anno contra Danos, Slavos, Obotritos: Anno autem 1342. Lutholdi et Ioannis. 1382. Botonis, et literis anno 1387. ſcriptis Henrici Comitis de Torgau, mentio fit. Erepta autem urbis poſſeſſio fuerat Comitibus ab Adolpho rege, bello contra Fridericum et Ticemanum fratres, Landgravios Turingiae: et fuit ſub VValdemaro Anhaltino aliqvandiu, tempore ambitus inter Ludovicum Bavarum et Fridericum Auſtriacum, qvi eam obtulit Hermano patruo, qvem conabatur evehere ad dignitatem imperii: ſed eo deſerto a ceteris Principibus, rediit urbs ad Fridericum Landgravium, et manſit poſtea ſub poteſtate Marchionum Miſniae. Qvod autem anno 960. pagus fuiſſe dicitur, non inficior: Ea enim rerum humanarum viciſſitudo eſt, ut, qvae alta ſunt, ruant, infima emergant: idqve accidiſſe Torgae, mirum non eſt, in tam diuturnis et freqventibus Vngarorum et Vandalorum in hanc noſtram patriam incurſionibus: qvibus ſopitis, reſpiraſſe hanc noſtram urbem, eſt veriſimile. Et certe ex hiſtoria de Friderico Alberti filio, fratre Tizmani, minime eſt ambiguum, Torgam ſeculo illius fuiſſe celebrem, teſtanturqve idem tempora VVilhelmorum et Fridericorum: Donec Albertus, praeter ea, qvae commemoravimus, una cum fratre Erneſto, anteqvam provinciae dividerentur, occupatis paſcuis, et molis duabus, cui alteri nomen fuit a ſcandulis, alteri a muribus, ſitu ipſo invitatus, piſcinas etiam excoluit. Qvod ne cupide feciſſe videretur, aut violenter, Erneſti filii, Fridericus, patris in Electoratu ſucceſſor, cui Sapientis nomen fuit, et Ioannes frater, pro compenſatione agrum Molticii, villae deſertae, una cum omnibus iuribus, iudiciis, ſylvis, pratis, actibus, et agrum Pfluccutium, finibus certis undiqve ter-

minatus Torgensibus concesserunt: hac tamen lege, ut de pratis solverent singulis annis qvatuor sexagenas: liber vero actus esset usqve ad riparum extremos margines. Actum id est Torgae Idus Iunii, anno 1489.

Anno 1464. post praestitum fidelitatis iuramentum, triduo post diem conceptionis Mariae, privilegia Torgae fratres duo Elector et Albertus rata habuerunt, et confirmarunt: et qvia omnes fere urbis proventus consistunt in coctione cerevisiae, longissimo tempore ob generositatem nobilis, ut sanctione Friderici II. Electoris constitutum fuerat anno 1423. interdictum fuit Belgranis, Schildaviensibus, Domitianis, ne coctionem tentarent insciis et non consentientibus Torgensibus, verum cum lege certa, de qva fortassis alias alii.

Anno 1487. IIII. Non. Decembris renovato foedere successionis, et iure fraternitatis inter Fridericum Electorem, et Ioannem Ducem Saxoniae fratres: et inter VVilhelmum Landgravium Hassiae natu maximum, VVilhelmum natu medium, et VVilhelmum natu minimum, horum agnatum: atqve insuper inter Albertum Saxonem: in verba horum principicipum iurarunt Torgenses, ut et alii subditi: si absqve legitima prole mascula decederent Saxonici Principes, agnituros se Landgravios pro legitimis heredibus et dominis: et sancte polliciti sunt principes, nihil diminutum iri privilegia et immunitates urbium. Insuper ab iisdem duobus principibus piscatores, in fraudem Torgensium pisces alio venditum euntes, iubentur vendere civibus, anno 1479. et insula, arci vicina, urbi adiudicatur, 77.

Nuptias in hac urbe celebrasse a nonnullis scribitur, Fridericus II. Elector, pater Alberti, cum Margareta Austriaca: Natus in ea est Fridericus III. Ernesti filius, Elector, qvem Sapientem dixerunt, XV. Calendas Februarii, Anni 1463.

Anno 1500. D. Esto mihi, qvi erat 1. Mart. Ioan. Elector Friderici

derici frater Torgae duxit Sophiam filiam Magni ducis Megapolitani, ſororem Henrici et Alberti: natusqve ibidem 1503. pridie Calendas Iulii matre Sophia Megaloburgica Ioannes Fridericus: Mater vero obiit IIII. Idus Iulii, hora VI. matutina, ſepulta in templo primario.

Anno 1513. ad ſecunda vota tranſiit Ioannes Dux Saxoniae, Margaretae VValdemari principis Anhaltini filiae.

Anno 1526. Poſtridie Exaudi, poſt nuptias Bergae celebratas, Sibyllam Ducis Iuliacenſis filiam Torgam deduxit Ioannes Fridericus: Eaqve poſt, cum primum anno vigeſimo octavo, iuxta inſtitutionem Chriſti autoris, Coena ſacra uſa eſſet, Anno 1530. XI. Martii, filium enixa eſt, eo ipſo die, qvo literis Caroli V. Imperatoris, pater evocabatur ad Comitia Auguſtana, qvibus edita et promulgata eſt Confeſſio Eccleſiarum noſtrarum, coram totius Imperii ſenatu.

Anno 1548. VIII. Idus Octobris ſolennitati nuptiarum Illuſtriſſimi principis Auguſti, &c. cum Anna Chriſtiani III. regis Daniae filia, interfuerunt Principes qvatuordecim, concionem habente de coniugio Georgio Anhaltino e Pſal. 128.

Nuptiae Ioannis Erneſti, filii Ioannis Electoris, nati e Margareta Anhaltina, celebratae cum Catharina filia Philippi Ducis Brunſvicenſis in Grubenhagen, anno 42. XIII. Februarii. Mortuus is eſt, Anno 1553. VIII. Februarii, ſine liberis, Anno aetatis 32.

Nata ibidem Maria, Auguſti Electoris filia, Anno 1562. VIII. Idus Martii.

Non dubito, qvin haec alieniora a propoſito nonnullis videantur: ſi qvis tamen accuratius perpenderit, deprehendet, habere ea, qvae commemoravimus, implicatam mentionem noſtri principis, et tacitam etiam laudem: qvi ſcilicet, eo in ſuos fuerit ſubditos animo, eaqve pietate, ut qvidqvid potuit ad provinciam ornandam et ditandam conferre, in id ſumma ope

incumberet. Nihilominus finem faciam, si superioribus de schola Torgensi unicum adiiciam: ne vero molestiam cuiqvam pariat, tanqvam Emblema, huic narrationi nostrae additurum lumen, versus de illa D. Georgii Fabricii praeceptoris mei (cuius anima sit ligata in fasciculo viventium) subiungam, hoc saltem praemisso: tenuisse hunc locum, nostro tempore pietati et literis dedicatum, fecem generis humani, Monachos, qvi verissime fuerunt Κρῆτες, ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαὶ, (ut in versu Epimenidis, secundum nonnullos: Callimachi, secundum alios.) Qvorum tamen unus, Franciscus Mechlerus, post in Thuringia Evangelium Christi docuit annos 37. His eiectis anno 1524. iuventutis Torgensis zelo, duce Leonhardo Koppio, Deo et pietati coenobium est consecratum:

Ludus pietatis et literarum

Huc translatus divino auspicio est, eodem die, qvo ante annos M. D. LXXII. dedicatum est Hierosolymis templum Dei, liberato e servitute Babylonica populo.

M. D. XXIIII.

Qvae non a Domino caepit plantatio coeli,
Eruere hanc ima stirpe, soloqve decet.
Qvo mense atqve die Monachorum turba fugata est,
Hoc domus haec studiis est sacra facta bonis.
Hoc olim e turpi Solyma instaurata ruina,
Doctrinae sedem coepit habere novam.

M. D. LVII. 4. die Martii.

ἐκ τῆς σφηκίας μυρμηκιά.

Hoc qvondam tenuit vesparum nidus asylum,
Mella favis, alio parta labore, legens:
Nunc sedem tenet hanc patiens formica laborum,
Grata legens, populo non nocitura Dei.

Redeun-

Redeundum nunc eſt ad reliqva, qvae propoſueramus. Anno 301. poſtqvam metalla Fribergenſia coli coeperunt Anno 1171. ſub Othone Divite Conradi III. Marchionis Misnenſis filio, prope pagum Luſvitium, et alterum, cui a Chriſtiano qvodam nomen fuit, caſu reperto lapide argenti plumbiqve feraci ab auriga qvodam Saxone Goslarienſi, ſalem in Boiemiam deportante: Schnebergi ad Muldam tam felix fuit Metallorum proventus, ut comparari vix ulla terra iis potuerit: nec ulla fuit fodina feracior, qvam Divi Georgii, in qvam invitatus Albertus a magiſtratu et praefectis metallicis, in ipſis argentifodinis, menſa e ſolido argento exceptus, cibum cepit: neqve ſignari argentum potuit, neqve cudi, propter copiam, ſed integrae ſunt diſtributae maſſae cultoribus, eſtqve inde ditata familia Romanorum Zviccavienſium: e qva nominavimus ſupra in Itinerario Sacro Martinum Ramanum praefectum urbis.

Anno 1492. a ſummo ceſpite argentum purum putum Glashutae ad Muglicium, qvi fluvius oppidulum praeterlabitur, inter altisſimos utrinqve montes, eſt erutum.

Annaebergum ſub eodem Principe coli coepit 1491. metallis uberrimum, qvem locum dixere Schreccebergum: et a loco monetam, ibi primum excuſam, Schreckebergeros, ut etiam Angelicos a tribus angelis, qvibus eſt inſignita, et Molares a molendino recens ibi extructo. Sita urbs eſt ad radicem et pedem montis Pilii: cuius fundamenta poſita ſunt ſub Alberto: in formam urbis redacta ſub Georgio Alberti filio, Anno 1497.

De obſervantia et pietate in Imperatorem, nihil dici dignius heroe, nihil ſplendidius poteſt, qvam qvod tanti eius maieſtatem fecit, ut eam omnibus rebus humanis, ac vitae ipſi et ſaluti, qva nihil carius, anteponeret, et pro eius incolumitate ſuum corpus certo diſcrimini exponere nunqvam dubitaret, et bellorum caſus varios et ancipites prompte et fortiter experiretur. Suorum vero fuit amantiſſimus: fratris natu maioris, cuius

aetatem, non multum sua maiorem, et gradum, in qvem a Deo constitutus fuerat, atqve dignitatem suscipiebat, multasqve potius aulicorum molestias devorabat, qvam fraternam pietatem et concordiam labefieri pateretur. De qva versus residui sunt illo tempore scripti, ex Elegia de obitu Ernesti Electoris, rudes sane, si carminis rationem perpendas, pleni tamen pii affectus erga illum Principem.

Praebet fraternus amor exemplum pietatis,
Qva magis esse neqvit principe digna pio:
Hos tenuit domus una viginti atqve amplius annos,
Vnanimes, semper grata aderat pietas.

Atqve eam concordiam, et amantissimam, arctissimamqve animorum fraternorum coniunctionem, nulla iniqvitas, nulla calumnia evertere potuit, donec tandem absente Ernesto, consiliariis huius cessit. Reverso enim Ernesto, tum demum tentata est divisio, Anno 1485. paulo ante mortem Ernesti. Cuius culpa non in fratrem alterutrum conferenda est, sed in consiliarios. Ita enim comparatum est, ut aulici pleonectici Principum animos vel transverse agant, vel, si id non possunt, iis inscììs multa tentent. Neqve confecta est divisio vulgari consvetudine, ut singulis singulae provinciae adiudicarentur: sed sic instituta, ne in singulis certae urbes singulis fratribus obvenirent, idqve eo consilio, qvia memores erant tristissimarum calamitatum, qvibus miserrime vastatae fuerant hae provinciae bellis civilibus et domesticis, a Friderico et VVilhelmo fratribus: ne igitur se mutuo attererent, visum est cuiqve sua attribuere, verum hac ratione, ut si qvid alter tumultuum moveret, absqve suarum terrarum et subditorum detrimento ne faceret. Metallorum proventum viri prudentes voluerunt esse communem, et decimarum: iura vero patrociniorum, et feuda, ut appellant, divisa. Non carebat autem callida solertia haec divisio, ut fit in aulis, scissis in contraria studiis, et alio alius gratiam

tiam aucupante: ſed arte artem ludente, eam partem Albertus elegit, qvae minus habebat pecuniae, qvod minime ſuſpicabantur. Siqvidem belli nervum noverant eſſe pecuniam, cui bello totus erat addictus. At ille qvamvis exhauſtus, urbes pecuniae praetulit, pecuniarum officinam. Siqvidem pecunia ſemel elapſa, non facile recuperatur: urbes vero tanqvam penu, aliam ſubinde miniſtrant. Septennium ante hanc diviſionem, Erneſto fratri id dedit benevolentiae fraternae et amoris officium, ut, detento fratre domi, cui terris non diviſis, maxima oneris pars, et adminiſtratio incumbebat, nam et natu maior erat, et Elector, in Daniam iret, itinere longo. Adducebat autem Chriſtinam, Erneſti filiam, puellam annorum ſedecim: Etenim nata fuerat Torgae pridie Michaelis, anno 1462. tanta peſte inſigni, ut exhauſtis pagis, villa ruſtica pane unico cibario emeretur. Ea deſponſata erat Ioanni regi Daniae, Chriſtiani I. Comitis Oldenburgici filio, qvi eodem Anno 78. coronatus fuerat. Tranſiit autem Roſtochium, cum inſigni comitatu eqvitum octingentorum, et in his aliqvot praeſulum, curribus auratis, pompa regia: Nuptiarum ſolennitas peracta eſt Haffniae, in urbe Selandiae regia. In reditu Lubecam deflexerunt, urbem Imperialem, cuius miratus ordinem, et genus gubernationis, moresqve civium cum mirifice probaret, illud unicum magnopere ſibi diſplicere dixit, qvod in urbe alias optime conſtituta, et praeclare morata, tanta eſſet ſexus muliebris licentia. Nam facie velata feminae diſcurrebant, et per loca ſubterranea vagabantur: qva licentia feminae etiam alias honeſtae incenderentur ad ferociam: Ferocia autem mater eſt libidinis: impudicae confirmarentur, id qvod accidit Anno 1454. Sangerhuſii, et ceteris locis ad Harcyniam, qvibus congrediebantur utriusqve ſexus homines, cognati, et conſangvinei, qvi colentes Diabolum ſpecie veſpae grandioris ſingulorum ori inſidentem, extinctis poſt luminibus, alius aliam apprehendens,

pro-

idem usu evenisse VVilhelmo III. Landgravio Turingiae, patruo: qvi Imperatore, Gallo Carolo, Casimiro Polono, et ducibus Austriacis, id ambientibus, etsi, facta collatione praeferretur: tamen vel odio religionis, qvam diversam profitebatur, Boiemi enim Ioannis Huss doctrinam seqvebantur, VVilhelmus pontificiam, vel ratione patriae, qva erat externus, vel levitate populi, vel deniqve assiduis procerum sollicitationibus, alio propendentium, fuit repudiatus. Nec consultum existimabant, competitoribus magno studio regnum affectantibus, bello se implicare difficili: et plura appetendo, eaqve incerta, sua in discrimen mittere non dubium. Imitari igitur voluit cautos, et non temerarios medicos, qvi in perplexis et latentibus morbis, necdum probe cognitis, cuiusmodi saepe incidunt, non praebent medicinam, qvae materiam vitiosam, ministrantem morbo alimenta, evehat, sed tale qvid, qvo morbi tantum incrementum inhibeatur: donec naturam morbi penitus perspexerit: Ita se Albertus servavit integrum, ut nec recusaret honorem delatum, nec temere susciperet. Qvare et munivit se adversus vim, si qva ingrueret, qvinqve eqvitum millibus, robore, ornatu, animo lectissimorum, et ductore Nicolao Coccericio, anno 1471. Dominica Qvasimodogeniti Dresda profectus, Pragae exceptus est summo civium et primatum gaudio et gratulationibus, petitumqve fuit, ut Matthiae impetus armis regnum qvaerentis, non legitimis suffragiis, retunderet, si qvid hostile et violentum tentaret. Albertus etsi, qva de causa vocatus esset, facile intelligebat, tamen operam suam in tuendo regno, et fidem offert Ordinibus regni promptissimam: neqve ex animo dilabebantur suspiciones, ne se totum illis crederet, easqve augebat Mathias, qvi moneri per hominem fidum iussit, ulturos Boiemus clades, a maioribus ipsius, inprimisqve patre Friderico acceptas: et nolle se, ut dux tantus a gente perfida, virtus a proditione nefaria perdatur, seu dolo,

ut Albertum, qvem ex omnibus Germaniae principibus ſolum, Ducis et Imperatoris nomine dignum iudicaſſe perhibetur, et de qvo auſus eſt dicere poſtea, absqve hoc eſſet, ſe brevi caſtra metaturum in media Germania, nemine obſtante, ab ambitu et accipiendo honore deterreret: ſeu ſerio. Sunt enim nonnulli animi generoſi, et ſolidae virtutis amantes, ut hanc etiam in hoſte probent; et a clandeſtinis machinationibus molitionibusqve ſceleratis abhorreant. Nam vera virtus absqve fuco eſt, et fallaciis, qvalis Fabricii tradentis Pyrrhum veneno necaturum: et huius Mathiae, qvi familiari cuidam Georgii regis Boiemiae, poſtulatum caedis praemium, dato chirographo aureorum qvinqvies mille promittens, ferro qvidem ut tolleretur, permiſit, venenum ne miſceret, interdixit, delectatus voce Fabricii Heroica: Romanos ferro, non venenis pugnare conſveviſſe: Georgium vero, ut ſibi caveret a venenis, etiam hoſtem monuit. Albertus re diu multumqve agitata, neutri fidem habendam deprehendit: Boiemis genti mobili, et regi hoſti. Itaqve certamen eqveſtre, certa hora conſtituta, ſuis militibus indixit, et ad praebendum virtutis ſpecimen, et ad iniiciendum Boiemis terrorem, ut, ſiqvid auderent, cum qvibus res eſſet futura, intelligerent, et deniqve ad delectandos ſpectatores: Revera autem, ut commode, et ſine ſuſpicione deprehenſae fraudis urbe excederet. Nam imparatos ſuos egredi iuſſit, et, ne qvis moram necteret, nec in urbem repetitum ſua rediret, interdixit, ſupplicio capitis in delinqventes conſtituto. Coniurati iam captos Misnenſes opinabantur, et circumventos, Civibus ſuis edicunt, clanculum arma in promptu haberent, ut vel ſpectaculis, et curſui eqveſtri intentos opprimerent, vel, ſi interdiu deeſſet oportunitas perpetrandi ſceleris, noctu ſopitos trucidarent. Verum ſagaciſſimus princeps fraudem ſceleratam odoratus, ſibi domum redeundum ait, accitu fratris, incidiſſe magnum qvid, cui adeſſe,

inter-

intersit sua plurimum. Discessit itaqve circa festum Pentecostes, solerti et prudenti astutia deludens facinus improborum, relictis etiam omnibus impedimentis, qvorum omnium restitutionem postea extorsit.

Vtcunqve vero haec se habeant, evidentissimum sunt et magnificum testimonium de virtute Alberti, qvem Boiemi vel regem designare voluerunt, dignum eum regno iudicantes: vel tollere, virtuti invidentes: Mathias vero cum se solum habere suae fortunae qvasi remoram, significavit: qvo sublato, expeditiora essent futura omnia. Nam et durantibus bellis, qvibus de Silesia dimicabatur, cum in Mathiam dixisse nescio qvid durius perhiberetur, qvod famam regis laederet, eo audito, Albertus aditum ad regem petiit, et causam sui adventus exposuit: Ita se edoctum a parentibus, ita educatum, ut non in lingva gladium gereret muliebriter, sed manu cum hoste congrederetur: se militem esse, non conviciatorem: neq; intercedere privatae qvicqvam offensionis: publicam se Imperatoris et Imperii, qva nihil ducat antiqvius, causam agere: revereri se ipsum ut regem, suspicere ut virum fortem, admirari ut gestarum rerum gloria illustrem: non assvetum se ad contumelias, contemptum, obtrectationes: sed ad candorem, observantiam superiorum, praelia. Cum statura herois eximia, tum vultu non qvidem feroci aut truculento, intrepido tamen et vigoris pleno, tum deniqve voce generosa et magnanima, in admirationem Alberti Rex incensus, cum testificatione suae benevolentiae ipsum dimisit. Habet laus ab hoste profecta plus ponderis, qvam ab amicis: illa enim ex vero iudicio provenit, haec ex affectu amoris, non raro iudicium animi obnubilantis. Et ea demum vera laus est, qvae ab iis proficiscitur, qvi ipsi in laude vixerunt. Qvanti praeterea principem nostrum fecerit Mathias, inde qvoqve constat, qvod post nuptias Philippi ingenui Electoris Palatini, cum Margareta Ludovici Divitis, Ducis

Bavariae filia, ad qvas cum fratre Ernesto Dresda die Valentini anno 74. Ambergam profectus est, re multum deliberata cùm amicis Elector in Silesiam abiit, solus qvidem, ut est in qvibusdam Annalibus, qvod Albertus Imperatori militaret: ut alii scribunt, uterqve frater pacificationem tentavit, Albertus qvidem ad Mathiam in castra ingressus est: Ernestus vero missis ad Casimirum legatis mense Septembri a Mathia impetravit, profectus Vratislaviam, ut mitteret ad Casimirum legatos de pace, et ipse summa ope id egit, ut longius qvotidie grassans incendium averteret. Videbant enim principes prudentes, molem belli non contentam fore finibus illis exiguis, sed in ducatum Saganensem, qvi Ducibus Saxoniae parebat, et in Germaniam ipsam, patriam dulcissimam, qva salva sunt omnia, tanqvam ignis sumptis viribus, progressuram, hinc Mathia, rege spiritus ferventissimi, et in re bellica felicissimo, mucronem ostentante vindicem, turmasqve trahente Rascianas: inde Casimiro robur suae gentis, et Lituanos concitante, et in Silesiam ductante. Itaqve armatis sexcentis eqvitibus, et iuris prudentia, usu rerum, autoritate, etiam doctrina clarissimis, VVilhelmo principe Comite Hennebergio, Hauboldo Schleunicio, Diterico Schonbergio, Ioanne Scriba Doctore, interqve ceteros eminente, ut scribunt nonnulli, Ioanne Marchione Brandeburgico, suae aetatis eloqventissimo: principes nostri non tantum iurarunt in verba Mathiae, a qvo feudum tenebant Ducatus Saganensis, id qvod ante fecerant pridie Calendas Octobris Vratislaviae, sed professi sunt intrepide, se aeqvas pacis conditiones accepturos, futuros auxilio adversus eas respuentem: et qvamvis non vicerunt armis hos reges potentissimos, tamen autoritate sua cervicibus Germaniae nostrae malum impendens averterunt, civili digniores corona iis, qvi armis hostem submoverunt, Qvare haud immerito patriae tutor, pietatis corona, et gloria regni, Ernestus appel-

appellatur, in ea, cuius ſupra meminimus, Elegia, nec temere Albertus Dextera manus Imperii ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo, in Diplomate nominatur: ut a militibus Belgicis Rolandus, qvem cum corporis dignitate referret. (Solet autem in corporis maieſtate ineſſe ſumma veneratio, magnorumqve operum ii ſoli capaces exiſtimantur, qvos eximia ſpecie natura donare dignata eſt, ut de VVilhelmo III. ſupra memoratus autor inqvit) tum multo magis animo, et rebus pro patria feliciter ſuſceptis repraeſentaret.

Ex huius herois diſciplina prodiit celebris Michael Glincius, princeps Ruthenicus: qvi in Friſia cum Alberto adoleſcens militaſſet, ſub hoc tolerare magiſtro militiam et grave Martis onus aſſvevit, primis atqve hunc miratus ab annis, ob rei bellicae ſcientiam et virtutem, regum ſibi favorem comparavit, rerum geſtarum gloria inſignis, et in hiſtoriis celebratus Polonicis. Qvem cum virtus perdere non poſſet, tandem invidia perdidit, et, aularum peſtis, calumnia. Accuſatus enim affectati in Litvania dominatus, qvam Tartaris effuſe populantibus, fortisſime cum hoſtibus immanibus dimicans, tutatus fuerat. Apud Alexandrum qvidem regem Poloniae, virtute calumnias facile extinxit, qvae nulla re melius, qvam virtute, ut candens ferrum aqva, extingvuntur: apud Sigismundum vero, cuius aures, ut regum plerunqve mos eſt, magis obtrectatoribus patebant, ne auditus qvidem eſt. Itaqve poſt variam fortunam, qva virum principem, adverſarium ſuum, in lecto cubantem obtruncavit, qvi impediverat reconciliationem cum rege, tentatam ab Vladislao: et a Moſco, ad qvem confugerat, tradito ei ducatu Smolencenſi, deceptus indigne et perfide fuit: et poſt aliqvot annos, cum, reconciliatus regi, opera Vladislai, aperte dixiſſet, ſe nulli ex regiis fidem habiturum, qvam duobus nobilibus Germanicis, invidiam magis auxit. In carcere tetro et ſqvalido vitam finivit, pari ferme cum Beliſario exitu. Nam

finis magnorum virorum ſaepe tragicus eſt,ut ſe homines, vel ipſo eventu admoniti, meminerint.

Eiusdem auſpicia ſecutus eſt Chriſtophorus Bernſteinius, qvi in primis annis Ditericum Schoenbergium, auratae militiae eqvitem, Magiſtrum habuit, cuius mores et gravitatem imitaretur, literisqve navavit operam Lipſiae: poſt ad arma ſe contulit, et in bellis Belgicis, ſtrenuam Alberto operam, non minus ac in ſtudiis humanioribus navavit, et inter ductores praecipuos recenſeri coepit. Meruit aliqvot annos Mathiae regi Vngariae: ſecutus eſt Henricum, Alberti filium in Palaeſtinam, et propter lingvae Sclavonicae notitiam et veſtem Hungaricam a Mamaluchis Aegyptiis pro Raſciae gentis homine habitus et prae aliis honorifice tractatus eſt.

Anno 1495. militavit Ferdinando Arragonio Alphonſi filio, eiqve cum Germanis ſuis non ultimus autor fuit, Gallum regno eiiciendi. Creatus eqves auratus iterum, ut et Hieroſolymis.

Militavit ex illa ipſa perantiqva et nobili familia Bernſteinia eidem Alberto Chriſtophori frater Georgius, in Friſia, laudemqve magnanimitatis et ſcientiae bellicae retulit eximiam: et apud Georgium, Alberti filium natu maximum, gratia atqve autoritate floruit.

Suſcepit Fridericus II. Elector e Margareta Auſtriaca plures liberos, ſed de ſexu virili Erneſtus tantum et Albertus ſuperſtites fuerunt. Filiarum Hedvigis Qvedlinburgenſis, Margarita Suſelicenſis facta ſacerdos ad Albim eſt dimidio, infra Miſniam miliari, hoc tempore ſub familia laudatiſſima, et virorum doctorum altrice Piſtorum.

Anna nupſit Alberto Marchioni Brandeburgico, Achilli Germanico: Amelcis Georgio Duci Bavariae. Filii, Fridericus III. Coelebs, Alexander infans, Henricus adoleſcens, obierunt. Erneſtus duxit Elizabetham, Alberti Bavariae ducis Movaci habitantis filiam, e qva ſeptem liberorum factus eſt parens.

Alber-

Albertus Sdennam, qvam Zedennam vocant, Idenam, Zoinam, Zodenam, sive Sidoniam filiam, Georgii Bodiebratii Comitis de Nidda, fundatoris familiae principum Munsterbergensium, qvi gubernator primum fuit regni Boiemiae, post vero Rex, cum accepisset insignia a Friderico III. Imperatore, et qvi hostis fuit primum Misnensium, qvorum oppida Dobelam, VVilstorfium, Lomacium, Mitvveidam, exussit, anno 1450. ferens suppetias VVilhelmo Landgravio Turingiae contra fratrem Fridericum circa festum Purificationis Mariae, filiam duxit, anno 1459. XI. Novembr. qvi dies Divo Martino sacer est, e Cunigunda prima coniuge sororem Catharinae, qvae Mathiae Corvino nupsit. Suntqve peractae nuptiae solenniter Egrae, ad flumen eiusdem nominis, ortum e montibus, dictis non a pinis, qvae arbor non est in nostra Germania, sed ab arboribus piciferis. Fuit haec femina simplicissima et tranqvillitatis amans, unde a mariti obitu annos decem exegit vidua, in loco montoso et solitario, arce excelsa ad VVeisseritium fluvium, vicina Dippoldisvvaldo, et montibus ab appellatione, qva Austrum Germani dicunt, nominatis, qvam arcem Tarandum dixerunt nostri: hanc enim qvietis amans, et strepitui, freqventiaeqve inimica, data optione, ipsa sibi elegerat, ubi vitam finivit, et mortua est, anno 1510. Calendas Februarii, relata ad tumulos principum Saxonicorum, Misenam, ad latus sui mariti.

Inter fratres autem Ernestum et Albertum mira fuit naturarum et studiorum dissimilitudo, ita tamen, ut, si scopum videas, nullo modo adversatae sibi fuerint. Corpus Alberto erat firmum et robustum, natura atqve exercitiis corroboratum: Ernesto minus solidum, nec ferendis adeo, si collatio fiat, laboribus aptum: E vultu Alberti vigor qvidam et animus ad suscipiendum ardua natus, difficiliorumqve negotiorum cupidus, et ardor elucebat: Ernestus placidior et pacem prae se ferebat: Qvod animadvertens VVilhelmus utriusqve patruus, Alberto dixit:

dixit: Vide ut e bellis evadas me ditior. Ille castris et armis tractandis accommodatior, in qvibus aetatem exercuit totam, nec tamen alienus plane ab actionibus pacificis: hic paci utilior, nec tamen, iustis causis ad arma incitantibus, meticulosus aut segnis: ille audacior, et periculorum contemptor, manu promptior et expeditior: hic cunctator et qvidvis potius, qvam arma experiebatur. Albertus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra aetatis suae homines, animo apertus, insolens infamiae, et obtrectationis: in hostes gravis, in milites severus, pari humanitate coniuncta: Ernestus semina dissensionum tollere, bella sopire, iniurias et simultates avertere, leges domi praescribere, iudicia constituere. In amicos fidus uterqve, in subditos pius, indulgens alter in alterum. Concordiae enim fraternae causa iniurias dissimulando vincebat Albertus, ne qvid mali animis exacerbatis oriretur, in ceteris rigidus, praesertim si qvid Imperii maiestati dignitatiqve obfuturum videretur. In domesticis Albertus de suo iure potius cedere largiendo, qvam coniunctionem turbare ius strictum perseqvendo: Ernestus in hoc par fratri: nam postulanti reditus auxit: in ceteris maiorum dignitatis rationem habens, nihil sibi derogari passus est, bello potius sua tutatus. Ernestus consilio et gravitate autoritatem sibi comparaverat: Albertus manu et fortitudine: hic bello et armis, ille pace et toga. Recte itaqve dici ille possit νοῦς, hic vero χεὶρ, qvemadmodum Troiani Hectorem et Aeneam, alterum χεῖρα, alterum νοῦν appellabant: qvod ille manu volebat, hic consilio et prudentia. Pares erant ambo pietate, qva adducti, Romam Ernestus abiit religionis ergo, ut tum ferebant tempora superstitiosa, salutaturus Papam, et ab Sixto IV. qvi Innocentium proxime antecessit, Rosam auream retulit, et templo Misnensi dedicavit: Albertus ingenti cum periculo terram sanctam adiit et ea loca, qvae filius Dei suis pedibus calcavit, religiosa animi pii meditatione

tione perlustravit. Mortem obiit Ernestus placide Colditii VIII. Calendas Septembris, relatus ad tumulos parentum Misenam: Albertus in Frisia in coenobio Embdano, febri acuta extinctus est pridie Idus Augusti: Qvamvis alii alio morbo, alii ictu globi tormentarii interiisse scribant. De qvo in medio sunt, qvae refert Fabricius in Annalibus Misnensibus. Famam nominis uterqve reliqvit sempiternam: Ernestus paci, qvam diu vixit, semper studuit, et iustitiae atqve veritati: qvi sciens et volens nulli passus est iniuriam afferri, ut est annotatum a civibus nostris. Albertus fortitudinis et aeqvitatis laudem egregiam ad posteros nunqvam intermorituram propagavit. Sepulturam ambo meruerunt Misenae, ubi natus fuerat Ernestus, iuxta maiorum monumenta, Ernestus qvidem hac inscriptione:

Anno a Christi nativitate 1486. XXVI. Augusti, obiit Illustrissimus princeps et Dominus, Dn. Ernestus Dux Saxoniae, sacri Romani Imperii Archimarschallus, Princeps Elector, Landgravius Thuringiae, ac Marchio Misnensis. Eius memoria semper sit apud Deum, in benedictione justorum.

Albertus vero huiusmodi: Anno a nativitate Christi 1500. die Saturni post nativitatem Mariae, hora duodecima meridiei, obiit Embdae in Frisia Illustrissimus & generosissimus Princeps ac Dominus, Dn. Albertus Dux Saxoniae, Landgravius Thuringiae, ac Marchio Misnensis, Gubernator Frisiae hereditarius, nomine sacri Imperii, cui propitius sit Deus, et opera bona compenset ac remuneretur in aeternum.

Vterqve prole felicissimus. Nam Ernestus ex Elisabetha Bavarica, procreavit Albertum Archiepiscopum, Electorem Moguntinum: Ernestum Archiepiscopum Magdeburgensem, et Praesulem Halberstadensem: Huic testamento Ernesti cautum fuit, ut si qva iniuria, Ecclesiastica dignitate privaretur, reditibus ad principem honeste alendum necessariis illi prospiceretur, autore Alberto. Et repetitum est idem a Friderico III.

co ıdente teſtamentum,iturus eſſet in Palaeſtinam XIX. Martii, anno 1493. Fridericum III. Electorem Sapientem, qvi cum natus fuiſſet, anno 1463. XVII. Ianuarii, coelebs obiit, anno 1525. V. Martii. Ex huius manuum ſoliditate et robore Sultanus, qvi tenebat Palaeſtinam, anno 1493. iudicium ſumpſit, Fridericum nobili et generoſa ſtirpe procreatum: Ioannem natum 1469. XXIX. Iunii, fraternae dignitatis heredem, qvi confesſionem Auguſtanam obtulit Carolo V. Imperatori: VVolffgangum, qvi mortuus puer eſt. Filias duas: Chriſtinam reginam Daniae, Ioannis regis coniugem, cuius filia Ioachimi I. Electoris Brandenburgici coniunx, mater atqve avia fuit ſeptuaginta principum, qvibus maxima ex parte ſuperſtes fuit, mortua anno aetatis 70. vel 72. Alteram Margaretam Henrico XII. Duci Brunovicenſi et Lunaeburgenſi tradiẋam.

Ioanne natus eſt animi invictisſimi heros Ioannes Fridericus Elector, fuſus ad Albim, accepto vulnere a Carolo V. Ex hoc nati Ioannes Fridericus II. Ioannes VVilhelmus, et Ioannes Fridericus III. coelebs mortuus.

Ioannis Friderici II. filii Ioannes Caſimirus, cuius uxor Anna, Auguſti Electoris Saxonici filia: et Ioannes Erneſtus, Ioannis vero VVilhelmi Fridericus VVilhelmus, et Ioannes.

Albertus ſobolem reliqvit non minus praeclaram Georgium, qvi natus eſt anno 1471. in vigilia Auguſti, circa meridiem: uxorem habuit Barbaram, Caſimiri Poloniae regis filiam: a morte patris anno qvarto Idib. Martiis in Friſios rebelles movit. Tumultum ruſticum ſedavit 25. Obiit moerore animi, qvem perceperat e morte omnium filiorum, Anno 1539. XV. Calendas Maii, princeps pacificus, clemens, religioſus.

Henricus 1472. die Gertrudis natus, qvi eſt 16. Martii, cum patre Friſiam, qvae huic pro compenſatione impenſarum, et remuneratione laborum conceſſa erat a Maximiliano Imperatore, adiit, ibiqve gubernationi praefectus fuit. Friſii iugi exter-

terni impatientes, et inhiantes libertati, Henricum obſident, pater obſeſſo ſuppetias fert. Palaeſtinam acceſſit, Anno 1498. A morte fratris Georgii, huius ditionem occupat, qvam alio transferre, odio religionis repurgatae, conabatur, qvam Henricus aperte profitebatur. Mortuus eſt 19. Auguſti, anno 1541.

Fridericus ſtudiis accommodatior fuiſſe videtur, qvam armis: Igitur literarum cauſa Senas in Italiam iuſſu patris ſe contulit. Natus fuit anno 1474. die Criſpini et Criſpiniani. Summus magiſter factus ordinis Teutonici XXXIII. profectus in Pruſſiam eſt, eqvis 800. comite fratre Georgio, eidemqve ſe ordini addixit Nicolaus ab Altmanhauſen. Mortuus eſt anno 1510. Rochlitii hydrope, relicta illa dignitate iniuria Alexandri regis Poloniae, anno aetatis trigeſimo ſexto, XIV. Decembris, ſepultus Miſenae. Ludovicus et Ioannes eidem attribuuntur Alberto, aetate prima mortui.

Filias habuit duas, qvarum Catharina primum Sigismundo Auſtriaco locata fuit, Anno 1484. pridie Non. Februarii: ſedecim annos nata: nam tempus natale ei faciunt annum 68. pridie Iacobi, horam ſeptimam veſpertinam. Eo mortuo IV. Martii, Anno 1497. ſecundis nuptiis Erico Brunſvigio, tradita Gvilielmi IV. iunioris filio, patri Erici, qvi poſt duxit Sidoniam, Henrici filiam: mortua 1524. Altera Anna puella obiit.

Henrici filii tres fuerunt: Mauritius natus Fribergi, anno 1521. XII. Calendas Aprilis, mane, e Catharina Megaloburgica, qvae Sophiae matris Ioannis Friderici Electoris Saxoniae eſt ſoror, Magni Ducis filia. Aemulus avitae gloriae bella geſſit maxima: Turcicum, anno 42. et 53. Contra Gallum militavit 1543. et iterum anno ſeqventi: contra Brunſvicenſem 1545. Militavit ſub auſpiciis Caroli V. anno 1547. Adeptus eſt dignitatem Electoris Saxoniae, victo Ioanne Friderico 48. VI. Calendas Martii. Magdeburgum certis conditionibus deditione

cepit 51. Bellum intulit pro Germaniae libertate Carolo V. Imperatori, et socerum Hassiae Landgravium liberavit 52. Globo traiectus est bombardico pro aris et focis pugnans, et pro patria 53. IX. Iulii, cum vixisset annos 32. Ex Agnete Philippi Landgravii Hassiae filia suscepit Albertum, qvi puer mortuus est, et Annam filiam.

Secundus Henrici filius Severinus, Oeniponte morbo interiit, ubi instituebatur una cum regiis liberis, annum agens undecimum, IV. Idus Octobris, anno 1533. sepultus in caenobio Stamsiano Cistertiensium, ubi etiam conditur Sigismundus Austriacus, et Maria Blanca Mediolanensis, Maximiliani Imperatoris uxor.

Augustus natus 1526. III. Calendas Augusti. Militavit in Gallia Carolo V. cum victoriam conseqveretur ad Divum Victorinum. Castra fratris secutus fuit in Germania: Bellum Gothanum totius Imperii nomine adversus seditiosos, patriae et tranqvillitatis publicae perturbatores suscepit, et feliciter confecit. Cui qvi pietatis amore, in religione constantia, in fovendis artibus et Academiis, in conservanda pace, conferri possit, haud facile inveneris. Eius uxor fuit Anna Christiani III. regis Daniae, ut nomine, ita re qvoqve vere Christiani, e Dorothea Magni Ducis Saxoniae inferioris filia, soror Friderici II. Daniae regis. Qvae mortua est Calendas Octobris, anno 1585. Altera coniunx Agnes Hedvvigis filia Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini 1586.

Nati ei sunt e Christiano filio, et huius coniuge Sophia, Ioannis Georgii Electoris Brandenburgici filia, nepotes duo, Christianus, editus in hanc lucem 23. Septembris, anno 83. et Ioannes Georgius V. Martii, anno 85. et neptis praeterea, cum aviae maternae, qvae Anna fuit, e regum Daniae sangvine, tum aviae maternae, qvae Sabina fuit, Georgii Brandenburgici filia, mortua 2. Nov. anno 1574. nomen referens Anna Sabina, nata anno 1586.

Filiae

Filiae Henrici fuerunt: Amelia uxor Georgii Marchionis Brandenburgici: Sidonia coniunx Erici ducis Brunſvicenſis, defuncta 4. Ianuarii, anno 1574.

Filios praeterea Illuſtriſſimus Elector Saxoniae Auguſtus habuit octo: e qvibus tamen, praeter eum, qvem dixi, Illuſtrem principem Chriſtianum, nullus eſt ſuperſtes: et filias in univerſum ſex, qvarum tres defunctae ſunt: Superſtitum vero una Elizabeth, nupſit Ioanni Caſimiro Comiti Palatino: Dorothea Henrico Iulio Epiſcopo Halberſtadenſi, Adminiſtratori Mindenſi, Duci Brunovicenſi et Lunaeburgenſi 26. Septembris, anno 85. in matrimonium collocata eſt: Anna Ioanni Caſimiro duci Saxoniae, Ioannis Friderici II. filio, Ioannis Friderici I. nepoti, XVI. Ianuarii, anno 86.

Atqve haec qvidem fuere, qvae breviter de ſummo ſeculi ſuperioris Duce commemoranda iudicavimus, qvo tum temporis maior nullus fuit in univerſa Germania, vel hoſtium ipſorum, qvo nihil non poteſt eſſe gravius, verius, luculentius, teſtimonio, ſiqvidem non ex affectu amoris, qvi nonnunqvam ſibi blanditur, et ſaepe non laudanda vehementer praedicat, ſed e vero iudicio profectum eſt, et re ipſa factisqve comprobatur. Qvod ſi qvis ex innata levitate hoc factum noſtrum reprehenderit, morem is ſane gerat ſuae libidini: Si vero alicui recte iudicanti non videbor verba factis aeqvaſſe, neqve ad tantum argumentum dicendi genus dignum attuliſſe, is ſic ſtatuat, agnoſcere nos tenuitatem noſtri ingenii, et aeqvo cenſori, cuiusmodi hoc ſcriptum eſt, ſubiicere, neqve ſubterfugere bonorum iudicia: Praeterea ſic exiſtimari velim, non agere nos hiſtoricum, ſed hanc laudem et palmam iis concedere, qvi ex profeſſo hiſtorias principum Saxonicorum conſcribunt, inſtructi maiori cognitione eruditae antiqvitatis, ampliore genere dicendi, copioſiore bibliotheca, ingenio dexteriore, memoria acriori. Qvin etiam iniqvos iudices admoneri velim verſus antiqvi:

Αρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον.

Oro Deum aeternum et omnipotentem, ut Ecclesias turbatas clementer tueatur, veritatem vocis coelestis conservet, animos principum ad concordiam flectat, et Imperii membra iam ruinam minitantia fulciat, neqve extingvi sinat, usqve ad illum diem, qvo, prioribus extinctis, novum regnum filius Dei auspicabitur.

NOTAE IN HISTORIAM ALBERTI III.

A Saxoniae ducit principibus.) *Qvi animos revocant ad ultimam gentis Saxonicae memoriam, ex Ptolemaeo recordantur, Saxonas antiqvitus* super cervicem Cimbricae Chersonesi *habitasse. Itaqve turbant historiae rationes, qvotqvot existimant, in Chersoneso consedisse. Qvod eo minus est ferendum, qvia hoc modo regionum fines perperam describuntur, et Cimbrorum Saxonumqve sedes confunduntur. Subit autem mirari, cur pleriqve aliter tradant, et Chersonesum, cuius ultimum recessum Cimbri incoluerunt, Saxonibus attribuant. Contra* Daniel Langhornius *in elencho antiqvitatum Albionensium affirmat, Anglos (Saxonas maritimos) ne attingi qvidem, aut verbo nominari in Ptolemaica Chersonesi descriptione, et ubi Beda vetustissimus Anglo-Saxonum scriptor, ac Fabius Ethelvardus Anglos collocant, ibi a Ptolemaeo longe alias collocatas esse gentes, pag. 330. Qvod sane observavit rectissime, etsi postea sibi non constat, qvum docet, Saxones ab Albi in Iutiam profectos, et Angrivariis Saxoniam transveseranam, qvae nunc VVestphalia dicitur, assignat, Anglariosqve in ea sede Angrivariis successisse commemorat. Sed pro nobis loqvatur ipse Ptolemaeus.* Ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες. *Hinc super cervicem (vulgo dorsum reddunt) Cimbricae Peninsulae Saxones: ipsam autem Peninsulam tradit habitare*

Sigu-

Sigulones: postea Sabalingios: post Cobandos: supra eos Chalos: et super eos magis esse occidentales Phundusios: magis orientales Harudes: omnium maxime Septentrionales Cimbros. Vnde apertissime intelligitur, Saxones non modo non habitasse in Cimbrica Chersoneso, sed ne animum qvidem eo migrandi priscis illis temporibus habuisse: siqvidem a cervice Chersonesi, *ubi primo habitarunt, egressi, non trans Eidoram in Cimbricam peninsulam, sed trans Albim, in terras ad Amasium usqve porrectas transierunt, et hinc profecti fines suos usqve eo protulerunt, ut iam tum Iuliani παραβάτε aevo inter Visurgim ac Rhenum latissime imperarent. Vid.* Zosimus lib. 3. *Ceterum seqvioribus seculis mediterranei Saxones, in Chersonesum qvoqve penetrarunt, et Iutas subegerunt, Saxones autem maritimi qvinto post Christum natum seculo in Britanniam traiecerunt, ut legere est apud Bedam, cuius vetustissimus mihi codex est,* lib. 1. hist. Eccles. cap. 15. *Cui addatur* Robertus Sheringhamus *de Anglorum gentis origine, et qvi eum seqvitur,* Daniel Langhornius *in antiqvitatibus Albionensibus, qvas ab antiqvo nomine, qvo Britannia olim denotata est, appellavit.* V. Beda lib. 1. cap. 1. *Ea vero Anglo-Saxonum migratio peperit nomen* Saxoniae transmarinae, *qva Angliam extulit Bonifacius, ut aborigines Saxonas, qvi maritimas Germaniae oras coluerunt, ab iis, qvi ducta hinc origine, trans mare migraverunt, discerneret. Illorum post Ptolemaeum meminerunt* Hieronymus, Isidorus, Eutropius, Ammianus Marcellinus, Paulus Orosius, Zosimus *atqve* Paulus Diaconus: *nec falluntur, qvi ad societatem huius transmarinae migrationis, adiungunt Fresones, qvod a narratione Bedae non est alienum, neqve aliqvid impedit, qvo minus Fresonum sedes porrigantur usqve ad* Saxoniam Cismarinam, *unde non modo Saxones in mediterraneas Germaniae provincias, sed etiam aliqvot post seculis, velut missa ab se gentis suae in peregrinum solum colonia, trans mare in Britanniam sunt profecti.* V. Beda ipse Anglo-Saxo, et scriptor eius gentis antiqvissimus lib. 5. Hist. Eccl. cap. 10. atqve ex eo VVitichindus Corbeiae monachus annal. Sax. 1. VVernerus Rolevinck cap 6. *de situ et morib. VVestph.* Alb. Cranzius Sax. lib. 1. cap. 18 19. 20. Dav. Chytraeus Sax. lib. 6. pag. 158. Vbbo Emmius hist. rer. Fris. lib 3. p 41. *Vbi sane id perqvam est memorabile, qvod Beda priscos Saxones, Anglorum parentes, apud Rhenum collocat, atqve hoc testimonio approbat, antiqvam Saxoniam fuisse VVestphaliam, id est, qvae a Rheno patet ad Visurgim. Qvam sententiam tenent Rolevincius, Nuenarius,*

narius, Crantzius, aliique veteris historiae intelligentes. Nondum tamen Ptolomaei aevo ibi vel vestigium Saxoniae fuit. Illud vero longius petitum est, qvod Iohannes Neuvvaldus, *cuius liber de antiqvis VVestphaliae colonis* Anno MDLXVI. *VVittebergae editus, ac superiori anno Osnabrugae recusus est, existimat, ex Sacarum gente esse arcessendos. Nusqvam enim tradit* Strabo, *Sacas, qvorum* lib. 11. rer. Geogr. *mentionem facit, in Germaniam profectos. Sed neqve nomen Saxonum ea aetate, qva Strabo scripsit, notum fuit: tantum abest, ut scribere potuerit, Saxones fuisse sobolem Sacarum. In qvo errore confutando iam ante me operam posuit* Robertus Sheringhamus, de Angl. gent. orig. p. 204. seq. *qvem, ut alias, ita hic seqvitur* Daniel Langhorn. antiq. Albion. p. 328. *Post Strabonem primo omnium Tacitus* Anglorum *nomen usurpavit, etsi multis est verosimile, qvaedam ex Tacito, ac nominatim ea, qvae ab eo de Saxonibus accolis peninsulae Cimbricae prodita fuerant, iniuria temporum esse deperdita. In qva opinione mecum est peritissimus antiqvitatis Germanicae* Hermannus Conringius, de antiqviss. statu Helmstadii p. 51. *Propterea qve* Philippus Cluverius, *paulo est audacior, qvando persvadere vult, pro Taciti* Fosis *legendos esse Saxones*, lib. 3. Germ. antiq. cap. 21. *Neqve eo mea qvidem sententia rectius sentit* Daniel Langhorn, *qvum Taciti* Suardones *ex Saxonum nomine ortos putat*, antiq. Albionens. p. 333. *qvandoqvidem ii non Saxoniam, sed Germaniae Cis-balthianae partem coluerunt, atqve adeo a Cluverio recte illis populis adnumerati sunt, qvi trans Viadrum Pomeraniae insigniorem portionem antiqvitus tenuerunt.* V. lib. 3. Germ. antiq. cap. 27. *Sed redimus ad migrationem Saxonum, qvam ex Macedonia repetit* VVitichindus, *fabulosis narrationibus deceptus, qvas dudum vanitatis coarguit Henricus* Meibomius, not. ad eum p. 39. seq. *Neqve verior est commemoratio auctoris* speculi Saxonici lib. 3. art. 44. *Cumqve hic simul de* Goropio Becano *cogito, prope est, ut dicam, eum plane ineptire, qvum docet Saxones ab Istro progressos, usqve ad Hercyniam sylvam pervenisse, atqve hoc pacto in Germania sibi sedes fixisse. Multo enim credibilius, et migrationum documentis convenientius est, ex Scythia in Scandiam, qvae* Iornandi vagina gentium *audit, transiisse, et eius mari Sarmatico in Chersonesum traiecisse, atqve aevo Ptolomaei in cervice consedisse. Nam qvi cum* Richardo Verestegan, *viro alio qvi Anglo-Saxonicae antiqvitatis gnaro existimant, priscas gentes, non, ut nostrae rationes ferunt, ex Scandia in Germaniam sed ex Germania in Scandiam migrasse,*

oppi-

oppido falluntur. Qvamobrem Suffridus Petri, *etsi gentis Frisiae origines non recte assequitur, tamen id veris momentis expendit, qvod memorat, Saxonum antiqvas sedes non in Illyrico, sed in Nordalbingica esse qvaerendas, unde postea egressi, se longe lateqve propagarunt, et non tantum Saxoniae transalbinae regiones Holsatiam, Stormariam, Dithmarsiam, impleverunt, sed etiam per vicinas continentesqve regiones diffusi, ampla atqve expedita itinera susceperunt.* Dan. Langhorn *accenset Nordalbingicae* VVagriam, *sed nemo non videt, postea* VVagriam, *qvam hic Vendia esse desiit, in ius nomenqve* Saxoniae *primo coaluisse. Recte igitur* Albertus Cranzius, *nisi qvod Vandaliam cum Vendia perpetuo confundit, initium* Saxonicae *nationis ducit ab Holsatia,* lib. 1. Sax. c. 1. *Amplius enim non debet extendi, neu a Iutia, quae Cimbricae Chersonesi finibus comprehenditur, arcessatur. Vt maxime enim Iutae, Beda teste, cum Saxonibus in Britonum Insulam profectus se coniunxerint, tamen neqve sedium ratione ad Saxoniam Borealem pertinent, et originis mentione ad Cimbros referuntur, Danosqve cognatos habent. Itaqve turbant originum migrationumqve rationes, qvi cum, suis qvamqve in sedibus gentem collocari oportere, sciant, nihilominus Saxones Cimbricae Chersoneso includunt, et qvod ex eorum sententia seqvitur, eos ex Cimbris ortos. Qvam opinionem in dissertatione de rebus Danicis An: cIↃ IↃcLXXIII. recensui: qvod nunc non perseqvor, ne longius, qvam ratio instituti postulat, progrediar.*

VVitichindus I. pronepos Sigardi. *Maiores VVitekindi singulatim a scriptoribus Carolovingicis non enumerantur, haud dubie non ob aliam caussam, qvam qvod Saxonia ad ea usqve tempora nullos hereditarios, ac plena potestate duces habuisset. Qvod cur sentiamus, faciunt annales* Franc. ad A. DCC LXXVII. *ubi appellatur* unus e primoribus VVestphalorum. S*imiliter ad* A. DCC LXXXII. primoribus Saxonum *annumeratur, neqve secius proditum est annalibus Pithoeanis, in qvibus nunqvam nomine regis, aut Principis, qvatenus notionem civilis imperii habet, vocatur. Contra ex iis qvoqve intelligi potest, tantum in* primatibus Saxonum *fuisse numeratum, ad A. DCC LXXXII. Qvod sane cum antiqvissimo Reipublicae* Saxonicae *statu apprime congruit, tum ex* Beda, *qvi multum diligenterqve hoc executus est, licet cognoscere, apud qvem verba seqventia legruntur.* Antiqvi Saxones regem non habent, sed Satrapas plurimos suae genti praepositos, qvi ingruente belli articulo, mit-

tunt aeqvaliter fortes, et qvemcunqve fors ostenderit, hunc tempore belli Ducem omnes seqvuntur, et huic obtemperant, peracto autem bello, rursum aeqvalis potentiae omnes fiunt Satrapae. *His similia monumentis commendavit* VVitichindus, *et tres Saxonicae gentis populos commemoravit, qvorum respublicae diversae, ac foedere tantum iunctae erant. VVestphalis, qvi aliter Saxones occidui ac transveserani dicuntur, praeerat VVitechindus, Angris, qvos vulgo, at perperam pro Angrivariis habent, Bruno, Ostphalis, id est Saxonibus orientalibus, sive Cisveseranis Hesso praepositus fuit, qvod probatu non est difficile, atqve ostendi potest ex* annal. Francicis, et Monacho Prumiensi, ac Poeta Paderbornensi, conf. Cranzius lib. 2 Sax. cap. 22. *Haud alia fuit constitutio reipublicae* Saxonum *transalbinorum, sive Nordalbingorum, nisi qvod his serius Dux hereditarius est impositus, reliqva autem* Saxonia *diu ante Ducibus hereditariis paruit.* Martinus Milagius, *qvi auctor est brevis et summariae relationis, affirmat pag.* 25. VVitechindum a Carolo M. investitum fuisse in magnum Ducem Saxoniae. *Sed qvibus monumentis id firmari possit, non video, qvandoqvidem aetate Caroli M. neqve magni Duces Saxoniae extiterunt, neqve tunc ea potestas Ducum fuit, ut pleno ac proprio iure aliis imperarent. Qvod scribo, non ut detraham dignitati, nedum iuribus stirpis VVitichindi, sed ut sine dubitatione intelligatur, qvinam ex stirpe VVitechindi, cuius posteritas animo firmum atqve stabile huiusmodi ius obtinuit, primi fuerint Duces hereditarii, et verum ac civile Saxoniae Imperium habuerint. Certe enim ex VVitichindo Monacho, cuius magna in rebus Saxonicis auctoritas, et perspecta fides est, colligamus, Ludolfum, VVittekindi pronepotem, hereditarium* Saxoniae *Ducatum possedisse, et primum Ducis Saxoniae titulo fuisse nobilitatum.* V. Annal. Sax. 1. p. 6. 7. cum qvo conf. diplomata fundationum Ludolfi, *in qvibus DVX Saxoniae audit, et multi graves historici, Gobelinus, atqve Abbas* Stadensis. *Ante eum vero nemo alius sive in diplomate qvodam, sive in Carolovingica, sive antiqva* Saxonica *historia occurit, qvi DVX cum adiectione sit appellatus. VVittekindus qvidem a Corbeiensi Monacho magnus DVX, sed non magnus* Saxoniae *Dux vocatus est. Repugnat enim Carolino aevo titulus, qvi seqvioribus temporibus additus est a regionibus, qvas comites, unde duces eligebantur, nomine imperatorum administrabant. Constat qve, illa aetate Comites atqve Duces nec regni Ostro-Francici Principes dictos, neqve hereditaria potestate auctos, simpliciter provinciarum rectores fuisse. Qvod in mentem venire debuit* Ioanni Palatio, *qvi insigni-*

signibus VVitekindi ineptam, et a seculo Carolingico abhorrentem inscriptionem Gallice exaratam attribuit, et ducem pariter atque Saxoniae principem appellat, Aqvil. Franc. pag. 66. *Incaute enim seqvitur scriptores novos, ac monumentis optimis neglectis saepe uni* Crantzio *assentitur: neqve melior est genealogia, qvam ex Gabriele Buccelino affert, regesqve* Saxonum *abs tertio post natum Christum seculo repetit, et VVittekindum nunc regem, nunc magnum Ducem* Saxonum *cognominat*, aqvil. Saxon. p. 7. 8. *Sane dabimus, Carolum M. postqvam* Saxoniam *in regni Ostrofranciae provinciam redegerat, VVitekindum* Saxonibus *transveseranis dicundi iuris causa praefecisse, tamen non eo pertinebit, ut continuo existimetur, VVitikindum cum plena ac hereditaria potestate Ducem* Saxoniae *institutum fuisse, ac iam illa aetate heredem, ut hodie loqvuntur, feudalem reliqvisse; siqvidem tale ius post demum, qvam auctoritatis imperatorum Francicorum imminutio facta, resqve publica ipsorum bellis attrita concussaqve est, acqvisitum, et non dubie a Ludolfo Henrici aucupis, Francorum Saxonumqve regis avo, ad successores atqve posteros VVittikindeae stirpis iusto atqve legitimo ordine devolutum fuit. Hoc enim veris documentis demonstrari potest, et dudum viri de historia Germanica egregie meriti*, Henricus Meibomius, *atqve* Hermanus Conringius *in eo argumento laudabilem operam collocarunt. Verum qvi factum sit, qvod VVitekindo regis titulus vulgo ascribatur, et unde id Crantzius, magnae vir alioqvi auctoritatis, hauserit, vocari hic in qvaestionem posset, nisi perspicuum esset, praeter laminam aeream, qva regis titulo allegatur VVitekindus, etiam Gobelinum Personam, qvi in dioecesi Paderbornensi vixit, ac ad veterem historiam plurimum diligentiae contulit, ansam dedisse, dum scripsit, VVitekindum* qvandoqve nominari regem, qvandoqve unum primorum VVestphalorum. *Qvarum primum illud in nullo IX. et X. seculi scriptore, qvi probus qvidem atqve incorruptus sit, reperiamus. Nam cuiusmodi ea lamina sit, qvam Reineccius refert, vel illi ipsi versus, qvi incisi sunt, demonstrant, qvippe qvos Carolingicorum* Saxonicorumqve *imperatorum aetas plane ignoravit. Sunt enim, ut vulgo appellari solent, Leonini, qvos nemo censeat ante seculum XII. esse confectos: prius enim hoc carminis genus coepisse, non videtur. Tametsi* Chronicon Mindense, *qvod multo est recentius, et opera curaqve Ioannis Pistorii in lucem exiit, regis titulum ei impertit*, p. 723. *et* Crantzius *non vult diffiteri*, in nonnullis codicibus nominari regem Saxonum lib. 2. Saxon. cap. 21. *Non tamen isti codices eo numero sunt, ut eius, qvae hi-*

desideratur, antiqvitatis fidem illis ipsis tribuamus. Neqve hoc dissimulat Crantzius, et VVitekindum sic describit, ut non alium, qvam regem Laconicum, qvi tantum belli praetor erat, intelligere videatur. Reliqvi tituli, qvos Gobelinus VVittekindo attributos memorat, passim leguntur in antiqvis monumentis, hoc autem diversum dissimileqve habens, qvod posterior, qvo VVitekindus unus primorum *dicitur, ultimis retro temporibus Carolingicis qvoqve sit usurpatus: prior autem, et sine adiectione Saxoniae positus, demum in scriptoribus Saxonicis reperiatur, qvippe qvi et magnum Ducem nominant, at vero Ducem Saxoniae certe haud nominant. Vt vel hoc significationem dare possit, qvale sit monumentum illud, qvo VVitekindus rex Saxonum appellatur. Qvid vero causae sit, qvod Duces Agilolfingici adiectione Baioariae iam tum in annalibus Carolingicis describantur, neqve id perinde fiat, qvum describuntur primores Saxonum: id facile eqvidem intelligi, ac expedita ratione iudicari potest. Etenim familia Agilolfingorum, ipsa etiam Carolingica antiqvior, diu ante Carolingicum imperium hereditario ac nemini obnoxio iure Bavariam possedit: cui successit familia Tassilonica, oriunda qvidem aeqve ac ipsa Carolingica ex Agilolfingis, sed non tam alto dignitatis gradu, ut nulla supremi domini lege teneretur. Namqve post Odilonem, qvem res novas molientem, armis ad officium redegere Carolomannus et Pipinus, Tassilo eius filius a Pipino Francorum rege Dux Bavariae institutus, a Carolo M. sacramento est obligatus, ut traditur* in annal. Pithoean. ad A. DCCXLIX. et DCCLXXXI. (*Vnde convenienter explicari debet titulus* summi Principis, *qvi ei attribuitur peculiari diplomate, qvod est apud* VVolffg. Lazium l. 7. de migr. gent.) *Qvod cum Tassilo in gratiam Desiderii Langobardorum regis, cuius filiam in matrimonio habuit, violasset, bellumqve Carolo facturus esset, non multo post eo redactus est, ut supplex venire atqve obsides dare cogeretur, cumqve ne sic qvidem in fide atqve obseqvio clientelari perstaret, iudicio maiestatis damnatus, ac Ducatus, qvi iam diu ex supremo factus erat clientelaris, nunc qvoqve hereditarius esse desiit, et mutato superioris dignitatis nomine, Comitatibus regendus traditus fuit.* Annal. Pith. ad A. DCCLXXXVII. Monachus Egolismensis in vita Carol. M. p. 245. 252. seq. Eginhartus de vit. Car. M. cap. XI. Adelmus Benedictinus ad A. DCCLXXXVIII. Ado Chron. p. 213. Abbas Stadensis col. 17. *Donec a Carolingis in patrimonium redigeretur, et postliminio sucessionis ius regniqve titulum reciperet, ac partitione here-*

dita-

ditatis facta, Pipino attribueretur, Testamentum Caroli M. §. Italiam vero: Ioannes Aventinus annal. Boi. lib. 3. et 4. *Multo aliter cum Saxonia actum est, qvae tametsi antea sui iuris et imperio polyarchico nemini obnoxio libera, primo a Carolo M. in ditionem Francorum redacta est, tamen videtur aeqvo et pari iure cum Francis esse usa, nec perinde sub iugum, ac aliae gentes, missa, qvod ex* Eginharto, et VVitechindo *colligitur, neqve omnes Saxoniae populos aeqve comiter habitos, qvod memorabile inprimis est,* universam Saxoniam uno tempore Caesaribus factam esse beneficiariam, *qvod de magno terrarum cis Visurgim tractu multis documentis liqvet, et apertissime indicat* Arnoldus Lubecensis lib. 2. Chron. Slav. cap. 36. *dum inter Henrici Leonis, proscripti a Friderico Aenobarbo Saxoniae Ducis patrimonium, ac regiones beneficiarias distingvit, et aliunde exploratum est, insignes Ostphaliae portiones a clientela nexuqve fiduciario alienas, primum A. MCCXXXV. ad legem beneficiariam esse redactas, qvod diplomate publico testatum reliqvit Fridericus II. Imperator, cuius copiam fecit* Henricus Meibomius opusc. hist. pag. 503. seqq. cum qvo conf. Abbas Stadens. ad A. MCCXXXV. Alb. Crantzius lib. 8. Sax. cap. 5. Chronicon Riddagshusan. p. 1. 2. *Id vero ab omni veritate alienum est, qvod* Suffridus Petri *pro vero affirmavit, aevo VVittekindi Saxoniam imperio* feudalem *fuisse, propterea qvod, si maxime olim Saxonia Francis tributaria facta sit, nunqvam tamen facta sit clientelaris ac beneficiaria. Diploma, qvod Suffridus profert, falsitatis dudum est convictum. Neqve tunc qvale Suffridus intelligit, apud Francos constitutum fuit, qvando vixit bellumqve cum Francis gessit VVittikindus, qvippe qvi, priusqvam cum domo genteqve sua Carolo parendi lege se obstrinxit, non Saxoniae* Dux feudalis, *ut putat Suffridus, sed unus duntaxat inter Optimates, reiqve publicae, liberae, ac populi optimatiumqve imperio temperatae bellicus magistratus fuit. Nihilo verius est, qvod censuit* Alb. Cranzius, *Episcopos per Saxoniam institutos a Carolo M.* regalia *accepisse,* lib. 2. Sax. cap. 23. *Qvanqvam enim Episcopi iam ante Carolum seculi negotiis se immiscere voluerunt, et ab Adone Viennensi proditum est, Ancpotem, regnantibus in Francia Merovingis,* secularis conversationis fuisse virum, ac duxisse exercitum Francorum in Svevos, *Chronic. ad A. DCCXIV. tamen ea administratione non consecuti sunt regalia, nedum civile imperium, qvandoqvidem ea tunc regiae Caroli potestatis ratio erat, ut suae aemulam, ac territorii iure descriptam non ferret, sed qvi-*

O 3 *bus*

bus poterat modis Episcopos in ordinem redigeret, ac luxuriari volentes, legibus constringeret. Verum Saxonia, qvae dicitur transalbina, a Carolo M. inde usqve ad Ottonem M. praefectos habuit, ab Ottone autem iure hereditario, primum concessa est Hermanno Billingo, deinde huius posteris in magno *Transalbianorum Duce extinctis, A. cIↃ CLXXX. decisis ex antiqva Saxonia Angriae VVestphaliaeqve Ducatibus, auspicio Friderici Aenobarbi cum tractu VVittenbergensi, qvi ex veteri Soraborum regione decerptus, postea superioris Saxoniae nomen tulit, iure beneficiario possidenda Bernhardo Ascanio tradita est. Veteris Saxoniae titulus, maiorqve pars Philippo* Archiepiscopo Coloniensi *cessit, reliqva Dominos nacta est* Episcopum Monasteriensem, *qvi, sive propter insignem eam accessionem, sive propter Archiepiscopi Coloniensis aemulationem, affectavit Ducis VVestphaliae titulum,* Ducem Iuliacensem, *qvi ratione portionum ex ea detractarum, sine dubio in conventibus circuli VVestphalici, aeqve ac Episcopus Monasteriensis, partes dirigendi tenet,* Archiepiscopum Bremensem, *qvi ad suam ditionem adiunxit Comitatum Stadensem,* Episcopos Osnaburgensem, Mindensem, atqve Paderbonensem, Comites Lippienses, Benthemenses, Tecklenburgios, Pyromontanos, et Pyromontanae Dynastiae heredes VValdeccios, *qvorum et antiqvus Comitatus Svvalenbergicus inde est decerptus,* Diepholdenses, Hoienses, *qvorum comitatus postea facti sunt ditionis Gvelficae,* Oldenburgicos atqve Delmenhorstanos. Arnold. Lubecensis Chron. Slav. lib. 2. cap. 24. Abb. Stadensis ad A. 1180 Chron. Nussiense p. 192. Albert. Cranzius Sax. lib. 6. cap. 38. seq. D. Chytraeus Saxon. p. 73. Vbbo Emmius rer. Fris. lib. 7. p. 108. Chron. Brunsvvic. p. 157. *Saxoniae Palatinatus lege beneficiaria delatus est ad Hermannum, atqve hinc ad ipsius filios Ludovicum VI, et Henricum Rasponem, inter mares eius familiae ultimum, iusta serie est devolutus. Ex qvibus certum atqve exploratum redditur, Saxoniae Palatinatum antiqvitus eiusmodi fuisse Ducatus Saxoniae accessionem, ut ab eo abesse potuerit, et revera interdum abfuerit, separatasqve rationes habuerit. Etenim Bernhardus Ascanius, Alberti Vrsi filius, A. cIↃ. CLXXX. in comitiis Herbipolitanis Ducatum Saxoniae ritu solenni beneficiario obtinuit, Palatinatus autem, qvi iam diu ex Saxonia transvveserana in Cisveseranam deductus erat, Landgraviis Thuringiae ex diversa causa partus, atqve ab Saxonia Cisveserana, in cuius ditionem Thuringia transvnstrutana transiit, ac diu Northuringiae nomen retinuit, saepeqve propter*

pter eius fines habita est controversia, ablatus fuit. *Qvamobrem, proscripto Henrico Leone, et praeter Baioariae Saxoniaeqve Ducatum, Palatinatu Rhenensi Saxoniaeqve privato, primo Hermannus Thuringiae Landgravius, beneficio Friderici Aenobarbi appellatus est Saxoniae Palatinus, eiusqve adiectione tituli distingvitur a fratre Ludovico V. apud* Arnoldum Lubecensem, Chron. Slav. lib. 2. cap. 30. et 36. *Qvanqvam Cyriacus Spangenberg et Petrus Albinus existimant, Palatinatum* Saxoniae *prius Ludovico V. beneficiaria lege fuisse addictum*, spec. Nobilit. pag. 306. Chron. Misn. pag. 192. *A Landgraviis Thuringiae pervenit ad Marchiones Misniae, fuitqve apud hos a tempore Henrici illustris usqve ad tempora Alberti II. Ascanii, qvippe qvi Rudolfi Habsburgii, qvem suffragio suo imperatorem renunciaverat, permissu beneficioqve Saxoniae Palatinatum impetravit, tametsi ipse ac eius successores non semper titulo ratione Palatinatus* Saxoniae, *neqve ratione officii imperialis debito uterentur, et donec superessent ex gente Ascania Saxoniae Duces atqve Electores, scriptura qvoqve tituli* Electorum *prudenter fere abstinerent, partim ob Marchiones Misniae, qvi mortuo Alberto II. Saxoniae Palatinatum vindicabant, partim ob reliqvos imperii Principes, qvorum sive invidia, sive aemulatio recentioris usu tituli excitari potuisset. Interest enim cuiusqve internoscere, qvale sit Melchioris Goldasti diploma, qvod Alberto II. Ascanio tribuit,* Pol. Reichshandl. part. 1. ad A. 1291. *Primo enim Thuringiam infert, qvae iamdudum Marchionibus Misniae attributa, ac nominatim A. MCCXLI. Henrico eius nominis illustri concessa fuerat. Verba diplomatis, qvae qvidem huc faciunt, concepta haec sunt.* Tibi post mortem avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiae (*designatur Henricus Raspo, Veteris Landgraviorum familiae postremus, qvi qvinto post anno, qvam a Friderico II. facta beneficiaria Henrici illustris inauguratio erat, propterea qvod ab Innocentio IV. Pontifice instigatus Caesaream dignitatem affectasset, apud Vlmam caesus est*) duos principatus suos, videlicet Landgraviam Thuringiae et Comitiam* Palatii Saxoniae, *(unde intelligitur, Thuringiae Landgraviatum nulla praeterqvam Imperatoria concessione institutum, nec alio titulo hereditarium Thuringiae Principum ius fundatum delatumqve esse ad successores: qvod de Palatinatu, tanqvam ex diversa causa Imperatorum beneficio acqvisito, minus dubitationis habet)* et omnia alia feuda, qvae a nobis et Imperio tenentur cum ipsorum pertinentiis, iure contulimus feodali *; et qvae*

* Stylo XIII. sec. qvo Palatina Comitia dicitur Chron Gozec. p. 229. Similiter Comitatus et Comitia in Speculo Sax. qvod eodem seculo conscriptum est, commutantur, lib. 3. 131.

alia 52.

alia ibi ſeqvuntur, qvae ſane ſunt praeter meum inſtitutum. Deinde titulum Electoris, *non modo non praeter conſvetudinem iſtius ſeculi, ſed etiam praeter morem ſcribendi pragmaticum perpetuo alias receptum, ſui oblitus adducit: quandoqvidem dignitas Imperii officialis multo ante acqviſita, uſu pragmatico praeponitur titulo Electoratus, non modo qvia hic longe poſt acqviſitus, ſed etiam qvod, poſtqvam acqviſitus erat, non ſimul uſurpatus, neqve ad hunc modum inſtituto Curiae receptus fuit. Qvod Goldaſtus plane invertit, ut vel hoc indicio ſit, eius tituli ſcripturam non eſſe ſumptam ex tabulis indubitata fide praeditis, ac eos qvoqve erroris admonere poſſe, qvi iam tum Alberto I. Patri ipſius titulum Electoris adſcribunt, qvanqvam is nec uno alteroqve ſtatim facto, et inter Imperii turbas, reqve publica male affecta geſto, et adeo per ſe ad pariendum ius non idoneo, neqve ſuffecturo, ſed iniqvo etiam, et cum iniuria Caeſarum Hohenſtauffiorum, qvibus legitima electione Caeſarea dignitas iam ante parta fuerat, coniuncto, eiusmodi ius obtinere potuit. Revera autem ac ſine controverſia demum illud obtinuit Albertus II. ipſius filius, qvippe qvi qvatuor legitimis electionum Caeſarearum actibus interfuit, atqve a Rudolfo Habsburgio, Imperii factionibus feſſi inſtauratore, privilegium electionis, qvae ante ad omnes pertinebat, nunc vero reliqvorum ſilentio patientiaqve ad ſeptem Principes redacta erat, tabulis eo conceſſis conſecutus eſt, titulum tamen Electoris nunqvam, nec Mareſchalli adhibuit. Qvod adeo verum eſt, ut affirmem, ſcripturam tituli Archimareſchallatus imperii circiter Caroli IV. tempora coepiſſe, ac multo poſt, et inſeqventi ſane ſeculo, adiunctum fuiſſe electoratus titulum, et lata etiam anno MCCCLVI. de Imperii Electoribus pragmatica conſtitutione, nondum aſciviſſe ſibi hunc titulum, qvod vel ſola VVenceslai Aſcanii diplomata, anno MCCCLXXIIX. et ſeqvioribus temporibus prodita, evincunt. Cum vero omnes ſciant, id ſalvo iure atqve omni dignitate, qvae ratione Electoratus convenit, intelligi, et luculenter alioqvi tabulis Caeſarearum inaugurationum confirmari; tum huc attinet obſervari, ipſos etiam Saxoniae Duces non-Aſcanios, qvi ab Conrado Timonis filio deſcendunt, illius ſcribendi moris haud fuiſſe immemores, et Fridericum I. bellicoſumqve, filium huius Fridericum plac[illegible]ſ[illegible]re contentos fuiſſe ſcribere ſe* S. I. Archimareſcallos, *donec F[illegible]ve titulum Archimareſcalli Electorisqve coniungeret, a[illegible] haec ſcribendi ratio atqve conſvetudo firma ſtabilisq[illegible] Qvod legentibus diplomata, qvorum bene*

multa

multa in manus meas venerunt, non potest esse incompertum. Verum Palatini Saxoniae *titulum Marchiones Misniae tuendi iuris sui gratia constanter retinuerunt, et qvamlibet mortuo Henrico illustri, donatione Rudolfi Habsburgii in Albertum II. Ducem Saxo-Ascanium collatus, atqve anno MCCCLXXXVI. VVenceslao Ascanio, successoribusqve eius confirmatus est,* apud Melch. Goldast. tom. I. const. imp. ad d. A. *tamen neqve sic Marchiones Misniae destiterunt usurpare, qvod docent multa diplomata, longe post illam Caroli IV confirmationem edita pariter et manuscripta, ex qvibus vel unum hoc* Friderici et VVilhelmi *fratrum fidem nostrae sententiae faciat, qvod A. MCCCCIX. hac tituli scriptione legitur.* Nos Fridericus senior, et VVilhelmus fratres Germani, divina favente clementia, Duringiae Landgravii, Marchiones Misnenses, et Comites Saxoniae Palatini. *Plura afferre supervacuum est, etsi praeterire nolo, Marchiones Misniae postea, qvam Albertus III. Ascanius propaginis suae ultimus A. MCCCCXXII. e vita decesserat, cum Ducatu Electoratuqve Saxoniae Palatinatum simul per Fridericum bellicosum obtinuisse, ut argumento esset, Saxoniae Palatinatum, qvi alioqvi salvo electoratu penes alium esse posset, et revera aliqvando a ducatu Electoratuqve Saxoniae abfuisset, nunc ex repetita Sigismundi Lutzelburgici anno MCCCCXXV. confirmatione, intelligi perpetuam esse Electoratus Saxonici accessionem, atqve adeo hodie Saxoniae Electori, non tanqvam Marchioni Misniae, qvod olim Marchionum postulatum erat, sed tanqvam Electori Saxoniae convenire. Vide* diploma beneficiarium apud Petrum Albinum Chron. Misnens. tit. 16. Balth. Mencium in explicat. stemmat. Ducum Saxon. in Friderico bellicoso; qvibus addantur Ioannes Cuspinianus, scriptor gravis Austriacisqve tabulariis usus, in Sigism. Cyr. Spangenberg rerum Saxonicarum oppido peritus, nisi qvod in antiqvis genealogiis ac temporum rationibus non semel haesitavit, ut qvando Rudolfo I. Ascanio epistolas anno 1290. scriptas perinepte attribuit, lib. 3. Chron. Qverfurt. cap. 27. et specul. Nobilit. col. 318. Ipsae tabulae, qvarum exemplum est a me proditum, in sanctiori curia Saxonica hodieqve asservantur. *Ceteroqvin usqve a Friderico bellicoso Marchiones Misniae, postqvam Saxoniae palatinatum, tanqvam Electoratus Saxonici accessionem beneficiariam susceperant, eo titulo abstinuerunt, non ut iuri, qvod ratione illius* ex cap. 5. aureae bullae *ad domum Saxonicam pertinet, qvodqve etiamnum durat, se privarent, aut insignibus propter*

eum convenientibus renunciarent, et qvoqvo modo derogarent, sed qvo usui vulgari loqvendi hoc darent, ut soli Principatui Rhenensi nomen Palatinatus relinqveretur. Alioqvi in diplomatis, qvae dicuntur, investiturarum expressa Palatinatus Saxoniae mentio fit, et certe hinc intelligitur, Palatinatum Saxoniae, Archimarescallatui dudum apud Ascanios instituto accessisse, atqve ex eo tempore coepisse, et Palatinatum adeo post Electoratum qvoqve esse acqvisitum, licet ille prius in scripturam tituli redactus, et postea etiam, qvam forma et consvetudo variavit, plane omissus, contra autem Archimarescalli atqve Electoris titulus perpetuo usu tenoreqve scribendi retentus firmatusqve fuerit. Illud vero non piget adiicere, recentiores plerosqve scriptores allegare titulos antiqvis diplomatis non consentaneos, inter qvos sunt Ernestus Brotuffius, *non modo qvod praeter historiae fidem origines Ascanias a Bernthobaldo repetit, sed etiam qvod Bernhardo Alberti Vrsi filio* Electoris atqve Ducis *Saxoniae titulum attribuit,* Chron. Anhalt. lib. 4. col. 64 *tametsi tunc nullum certo numero definitum electionis ius acqvisitum erat,* Balthasarem Mentzium, *et plures alios, qvi acqvisito definitae electionis iure, constitutoqve septem eligentium numero, protinus et nullo discrimine adhibent imponuntqve* electoris *titulum, qvem non ratione vero simili, aut sola coniectura, sed usu consvetudineqve scribendi iudicari oportet :* de stemmat. atqve orig. Duc. Sax. *Is enim ubi ab Ascaniis discessit, Fridericum bellicosum affirmat scripsisse titulum* Ducis atqve Electoris Saxoniae, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, et Palatini Saxoniae. *Verum nemo est, qvin certum habeat,* electoris Saxoniae *titulum non esse ex usu curiae : deinde in diplomatis non dubiis, qvae ego qvidem vidi et legi, Dux Saxoniae, et sacri Rom. imperii archimarescallus nominatur, ut propterea, si electorem se scripsisset, primo Saxoniae ducem, dein sacri Rom. Imperii archimarescallum atqve Electorem scripturus se fuisset. Neqve id repetere nunc vacat, qvod iam supra dixi, tempore Friderici bellicosi titulum Palatini Saxoniae in desvetudinem abiisse, qvem qvidem ex ea gente primus usurpaverat Henricus illustris. Praeterea extant Friderici II. cognomine placidi literae, ac in meis manibus versantur, qvibus continetur titulus* Ducis Saxoniae et sacri Rom. Imperii Archimarescalli, *nulla tituli neqve Electoratus, neqve Palatinatus facta mentione, de cetero modus atqve ordo tituli Landgravii* Thuringiae *et Marchionis Misniae servatur. Omnino autem Ernestus, Friderici placidi filius, a iure veteribus* investiturarnm Caesarea.

farearum *diplomatis fundato qvoqve titulum recepit, et coniunctim sacri Roman. Imperii Archimareschallum atqve Electorem se scripsit. Qvod auctoritate exemploqve omnes ipsius in Saxonico electoratu successores confirmarunt, et postqvam ex diplomatis Caesareis a Friderico III. et Maximiliano I. concessis, atqve a Rudolfo II. novissime confirmatis, ius in Ducatum Iuliaci Montiumqve ab Alberto animoso, cuius gratia haec scribere ingressus sum, tanqvam a primo acqvirente ad se derivatum acqvisiverunt, neqve eo secius, licet ex alia acqvirendi causa, speciatimqve ex pacto nuptiali, ius in Ducatum Cliviae a Ioanne Friderico I. tanqvam ab auctore ad se deductum transmissumqve, spe agnationis usqve huc tenuerunt, sane insignem veteris Saxoniae partem, licet diversa acqvirendi ratione, praetendunt, et praescripto Ducum Iuliaci, Cliviae Montiumqve titulo ius tuentur, more Principibus familiari, et inter cultiores gentes recepto, qvando animo retinent rerum regionumqve amissarum iura. Cetera Saxonia, qvae nova dicitur et transalbina,* pro ea parte, qva est in patrimonio Lauenburgico, *ex pacto Ducis Iulii Francisci cum Electoribus, Ducibusqve Saxoniae super mutua successione anno cIↃ IↃc LXXI. inito, ad Electores Ducesqve Saxoniae perveniet, si extiterit conditio, qvae illo continetur, Duxqve sine liberis maribus legitime descendentibus decesserit. Qvod sane eo factum existimari possit, ut Saxonia, qvae dicitur superior, qvaeqve olim sub Ducibus Saxo-Ascanis cum principatu Lauenburgico coniuncta fuit, sub Ducibus Electoribusqve hodiernis postliminio aliqvando coniungatur. Ne dicam, qvod alias non dissimulo, ea qvoqve ratione iniqva iudicia* Alberti Cranzii *opportunissime refelli posse, ut qvi passim in Saxonia qvaesiverit materiam superioris Saxoniae Duces Electoresqve carpendi, nunc vero ipsiusmet Ducis Lauenburgici exemplo, pactoqve, novissime facto, et priusqvam hoc fieret, tabulis Sigismundi Imp. A. MCCCCXXV. et MCCCCXXXIV. exaratis, abunde possit confutari.* V. Georg. Spalat. Chron. anno 1553. cum praefatione Phil. Melanchth. editum. *Ceterum consulto scriptum est, Saxoniam transalbinam nunc a me considerari* pro ea *parte,* qva est in patrimonio Lauenburgico. *Eqvidem tractus iste Lauenburgicus, qvi nomen Saxoniae transalbinae etiamnum qvoqve retinet, una duntaxat est portio* Saxoniae *transalbinae, ex qva Holsatia, VVagria atqve Stormaria attributae, et certe postliminio restitutae sunt Adolfo Holsatiae Comiti, Lubeca auspiciis Friderici Aenobarbi in libertatem Imperii asserta est.* V. Arnold. Lub. l. 2. chr.

cap. 36. *De Dithmarsia armis disceptatum est inter Antistitem Bremensem, et Comitem Oldenburgicum, sed illius causa vicit, nisi qvod nomine compensationis sumptuum in eam expeditionem factorum ab Adolfo Holsatiae comite vindicata, ac non multo post eidem praerepta fuit. Similiter Vrbs Hamburgensis saepe mutavit suos dominos, et postqvam praefectos Imperatorios habere desiit, primo in ditione ducum stirpis Billinganae fuit, dehinc ad Gvelfos, mox ad Holsatiae Comites pervenit, atqve bis erepta a Danis, auspicio VValdemari regis sine ulla iuris Danici exceptione, Alberto Comiti Orlamundae vendita est, a qvo demum, numeratis MD argenti libris iura atqve immunitates suas emit, seqve hoc pacto honestissimo in libertatem vindicavit, omnino est sita in Saxoniae transalbinae solo, salvo tamen sacramento* fidelitatis, *qvo duci Stormariae, et civilis obseqvii atqve* subiectionis, *qvo nullo interiecto, Imperio illigatur, eoqve in statu repetitis non ita pridem a Leopoldo Caesare diplomatis conservatur.* Vid. Adamus Bremensis lib. 2 hist. Eccl. cap. 4. qvi tantum in commemoratione originis Billingiae ex VVitichindo Monacho est corrigendus, Abbas Stadensis ad A. DCCC LXI. Alb. Cranzius lib. 4. Sax. cap. 16. lib. 5. cap. 26. Fr. Irenicus exeges. lib 3. cap. 61. at saepe circunspecte legendus, praesertim priori cap. 60. ubi talem adducit Henrici superbi titulum, qvalem nec admittit istius aevi stylus, neqve approbat curiae Gvelficae usus, ut alibi ex professo est demonstrandum. Vbbo Emius rer. Fris. lib. 7. p. 108. sed qvi paulo post ex Arnoldo Lubecensi lib. 2. Chron. Slav. cap. 36. emendandus est, dum non accuratas init patrimonii Gvelfici rationes: neqve eo secius Ludovicus Persona in oratione alioqvi erudita de VVitteberga habita, atqve anno 603. cum eius Academiae sacrum saeculare esset, edita. D. Chytraeus Sax. lib. 2. H. Meibomius op. hist. in vind Billing p. 305. seq. Petrus Lambecius Orig. Hamburg l. 1. *Tantum in extremo huius commentationis est addendum, nunqvam Saxoniam neqve ab antiqvis Romanorum Imperatoribus devictam, neqve ab ea nomen titulumqve susceptum fuisse. Contra numi suppetunt multi, qvi doceant, Franciam, Alemanniam, ceterasqve eius generis provincias non modo a Romanis imperatoribus subactas esse et triumphatas, sed etiam nomina earum ad adornandos instruendosqve Augustorum titulos valuisse. Qvod late a me explicatum est in historia Saxonica manuscripta. Proinde recte scribit* Io. Tilius lib. 1. de Or. Franc. *totam Germaniam nunqvam potuisse subigi a Romanis, Franciae autem sub-*

actae

actae testimonium habet numus antiqvus, qvem attulit Ezechiel Spanhem. de numism. p. 750.

Sacro ablutus baptismi lavacro est.) *Ex qvo VVittekindus Angaria, veteris Saxoniae regione oriundus, tandem animi magnitudinem reverentia Christiani nominis amoreqve pacis temperavit, auxit vires famamqve Carolus, et cum religionem amplificavit, tum certe potentiam auctoritatemqve apud Saxonas stabilivit. Rectene, an perperam, res alibi consideratu digna fuit: nunc satis est, memoria tenere locum, qvem VVitekindus suscepto veri Dei cultu illustravit.* Boiemus noster Mittebachium *nominat, forte VVestphaliae oppidum, qvod Medebacum dicitur, ac etiamnum in ditione Antistitis Coloniensis est, indicans.* Alb. Cranzius *licet dubitanti similis, aliorumqve narratione fretus, Bardevicum antiqvissimum in Ostphaliis oppidum fuisse memorat, ubi VVitekindus primo se ad societatem Christianae religionis adiunxerit. Mox addit, alios existimare, Mindae apud Visurgim sacra primo esse amplexum,* lib. 2. Sax. cap. 23. Qvod, ut alias solet, ex eo repetit Ioannes Palatius in aqvil. Saxon. p. 7. VVernerus Rolevincius, *qvi in dioecesi Monasteriensi natus est, et* Saxo*niam alioqvi praeclare cognitam habuit, plane sui immemor fingit, Bethlehemi in VVestphalia sacro fonte ablutum,* lib. 2. cap. 7. de situ et morib. VVestphal. *Qvae opinio cum nullo antiqvitatis monumento congruit, dudumqve a viris doctis est reiecta, etsi nuper eam cum Rolevincio communem habere voluit* Ioannes Iustus VVinckelmannus historicus Hassus, in notitia historico-polit. Veteris Saxo-vvestphaliae lib. 3. cap 3. p. 388. *Contra scriptores Francici una mente atqve animo affirmant, non in Saxonia, sed Attiniaci in Francia VVittekindum Saxonem Christi sacris initiatum fuisse.* V. annales Fr. Pithoeani ad A. DCCLXXXV. annales Fr. a Reubero editi ad A. eundem. *Sed qvis fuerit antistes, qvi eius abluendi curam munusqve gessit, in ambiguo est.* Boiemus noster *asserit fuisse Bonifacium, Moguntiae antistitem. Qvod iterum historiae certa argumentorum fide roboratae repugnat. Etenim Bonifacius anne post natum Christum DCCLV. in vivis esse desiit, qvod* testantur Hermannus Contractus, Lambertus Aschafnaburgensis, Marianus Scotus, ex recentioribus Gaspar Bruschius, et Petrus Merssaeus in Chronic. catalog. atqve annalibus Archiepiscoporum Mogunt. ad d. A. (*Sigebertus unum retro numerat*) *VVittekindus autem primum anno DCCLXXXV. sponsore apud sacrum fontem Carolo, ab idolorum cultu mysteriis initiatus*

 fuit.

fuit. Proinde sunt, qvi Lullum* Bonifacii in archiepiscopatu Moguntiae successorum hoc munere perfunctum tradunt, sed nullo auctore veteri et ad probandum idoneo. Alii putant, has partes obiisse Ludgerum, Ecclesiae Mimingrodensis (Monasteriensis VVestphalorum) antistitem, qvanqvam nec huius sententiae certum proferre documentum possunt. Itaqve missas facio inanes irritasqve coniecturas, et omnino Vbbonis Emmii iudicium probo, qvi fatetur hoc omne esse incertum, atqve adeo in medio reliqvendum: rer. Fris. hist lib IV. ad A. DCCLXXXV. Ceterum qvi animos adhibent, ut de Caroli actis recte existiment, facile intelligunt, VVitekindum non tam armis, qvam religione victum esse atqve emollitum, deinde hoc Caroli consilium non ad solum VVitekindum, sed ad universum Saxoniae populum, apud qvem magna VVittekindi auctoritas erat, pertinuisse: tum propter hanc causam in Saxonia ad regni Ostrofranciae ditionem redacta varios episcopatus instituisse, sed non simul cum VVitechindo universam Saxoniam in Caroli potestatem venisse, neqve anno DCCLXXXVI. qvo editum diploma Verdense est, omnes statim populos Saxonum Carolino imperio paruisse, difficilimosqve ad obseqvium fuisse Saxones transalbinos, hisqve demum subactis, et in Franciam traductis, dominatorem Saxonum se scripsisse, et non modo diversos eorum populorum Ordines dissimili ratione ac diverso regnandi modo habuisse, atqve disparem adeo nobilitatis Saxonicae et plebis conditionem sub uno eodemqve Ostrofrancico regno fuisse, nunqvam autem eo crudelitatis Carolum processisse, ut iudicio sangvinario, qvod dicitur, Vehmico fidei fractae crimen in Saxones vindicaret, ac postremo impeditis discordia Carolingis, reqve publica factionibus perturbata, magnam superiorus status factam esse conversionem, et Saxoniae Adelingos cumprimis dignitate privilegiisqve crevisse. Qvae et talia colligi atqve iudicari possunt ex Eginharto de vit. Carol. M. cap. VII. VVitechindo annal. Sax. 1. pag. 6. et qvi hinc exscribit, Adamo Bremensi, l. 1. hist. Eccl. cap. VII. ubi Franci atqve Saxones sic coniuncti inter se dicuntur, ut unum populum unamqve gentem efficiant. Consentit Poeta Paderbonensis, Arnolfi Imp. aeqvalis, carmine qvidem haud eleganti, sed vero, cuius sex versus inprimis huc pertinent, qvi libro qvarto cum A. DCCC III. congruenti in eandem sententiam leguntur. Verba diplomatis Verdensis, qvod uno anno post initiatum sacris VVittekindum est compositum, *non oppressam penitus et extinctam Saxonicae gentis libertatem indicant, sed

* In diplomate Verdensi vocatur Lullo, qvod manu testimonioqve suo firmavit, et Lullo subscripsit, fuitqve magnae auctoritatis, et primae Germaniae pontifex, atqve Ecclesiae Verdensi recens suffraganeae Moguntinensis, cum dignitate Metropolitana praepositus.

* A. DCCLXXXVI. qvod extat in sylloge diplomatum novae Adami Bremensis editioni subiunctorum. Verba haec sunt. Terram autem eorum (Saxonum) secundum an-

sed valent ad describendam immutatae reipublicae Saxonicae formam, qvippe qvae antea iure polyarchico, nunc vero unius Caroli imperio obnoxia, per praefectos ab eo impositos, salva tamen gentis libertate, regebatur. Tabulae, *qvas edidit Ferdinandus Paderbornae Antistes,* * Privilegium Osnaburgensis Ecclesiae continentes, *vocabulo* dominatoris *tantum exprimunt supremum Caroli in Saxones imperium, non simpliciter, qvale heri in servos est, sed qvatenus intelligitur ex diversa causa a regno Franciae, in qvod* Saxones *cum Francis coaluerant, esse acqvisitum. De VVittekindo constat inter omnes, non captum, neqve in servitutem redactum, sed fide publica venisse ad Carolum, et pacto se atqve conditione retinendae libertatis subiecisse. Haud aliter cum reliqvis eius gentis proceribus, qvorum flos atqve robur* Graviones, *materia et qvasi seminarium* Adelingi *erant, actum fuit. Qvin imo ipse* VVittekindus, *trans Visurgim dicundo Saxonibus iuri praefectus, exemplo docet, non tulisse se iugum servitutis, sed retinuisse libertatem. Qvanqvam non diffitebor, gentem* Saxonicam *cumprimis sub imperio* Saxonum *ad altissimum dignitatis gradum provectam, honoribus in republica maximis esse auctam. Prodit sane Corbeiae monachus, Henricum Aucupem, qvi et primus Saxoniam urbibus firmavit, totum fuisse* in exaltando gentem suam, annal. Sax. 1. pag. 14. atqve ex eo Conradus Vrspergensis ad A. 920. *Qvae opinio munitur qvoqve auctoritate diplomatis Bremensis, qvod* *anno DCC LXXXIIX. conscriptum posteritati conservavit* Magister Adamus, *aliter Bremensis nominatus, ac non minus ad confirmandam* Saxonicae *gentis libertatem, qvam ad convenienter explicandas tabulas Verdenses pertinet:* lib. 1. H. E. cap. 10. *Nam siqvid etiam de libertate* Saxonum *detractum fuerat, id affirmat Carolus ab se restitutum, Saxonesqve* pristinae libertati donatos, *ut vel ex eo liqvet, qvod cum ipsorum Adelingis honores et munera reipublicae communicavit: qvod ad plebem sane universam trahi non debet, et sufficit, honoratiores eius gentis ordines aeqvali cum Francis iure dignitateqve floruisse. De iudicio Vehmico haud necesse est qvicqvam addere, qvanqvam id assensu suo comprobavit* Melchior Goldastus, *VVipponis Conradi Saliqvi sacellani fide nixus,* prolegomen. specul. Saxon. *cui eqvidem multum tribuo in historia Conradi, tanqvam plurimorum eius actorum testi oculato, in reliqvis autem, qvae nec vidit ipse, et ab aliis perperam tradita accepit, non peraeqve assentior, cuiusmodi est, qvod de* lege crudelissima Saxonum *a Conrado Saliqvo confirma-*

tiqvum Romanorum morem in provinciam redigentes.

Qvae dictio fere repetitur in diplomate Bremensi A. DCC LXXXVIII. confecto.

* *In monument. Paderbornensibus p. 201.*

bus poterat modis Episcopos in ordinem redigeret, ac luxuriari volentes, legibus constringeret. Verum Saxonia, qvae dicitur transalbina, a Carolo M. inde usqve ad Ottonem M. praefectos habuit, ab Ottone autem iure hereditario, primum concessa est Hermanno Billingo, deinde huius posteris in magno *Transalbianorum Duce extinctis, A. cIↃ CLXXX. decisis ex antiqva Saxonia Angriae VVestphaliaeqve Ducatibus, auspicio Friderici Aenobarbi cum tractu VVittenbergensi, qvi ex veteri Soraborum regione decerptus, postea superioris Saxoniae nomen tulit, iure beneficiario possidenda Bernhardo Ascanio tradita est. Veteris Saxoniae titulus, maiorqve pars Philippo* Archiepiscopo Coloniensi *cessit, reliqva Dominos nacta est* Episcopum Monasteriensem, *qvi, sive propter insignem eam accessionem, sive propter Archiepiscopi Coloniensis aemulationem, affectavit Duc. VVestphaliae titulum,* Ducem Iuliacensem, *qvi ratione portionum ex ea detractarum, sine dubio in conventibus circuli VVestphalici, aeqve ac Episcopus Monasteriensis, partes dirigendi tenet,* Archiepiscopum Bremensem, *qvi ad suam ditionem adiunxit Comitatum Stadensem,* Episcopos Osnaburgensem, Mindensem, atqve Paderbonensem, Comites Lippienses, Bentheimenses, Tecklenburgios, Pyromontanos, et Pyromontanae Dynastiae heredes VValdeccios, *qvorum et antiqvus Comitatus Svvalenbergicus inde est decerptus,* Diepholdenses, Hoienses, *qvorum comitatus postea facti sunt ditionis Gvelficae,* Oldenburgicos atqve Delmenhorstanos. Arnold. Lubecensis Chron. Slav. lib. 2. cap. 24. Abb. Stadensis ad A. 1180 Chron. Nussiense p. 192. Albert. Cranzius Sax. lib. 6. cap. 38. seq. D. Chytraeus Saxon. p. 73. Vbbo Emmius rer. Fris. lib. 7. p. 108. Chron. Brunsvvic. p. 157. *Saxoniae Palatinatus lege beneficiaria delatus est ad Hermannum, atqve hinc ad ipsius filios Ludovicum VI, et Henricum Rasponem, inter mares eius familiae ultimum, iusta serie est devolutus. Ex qvibus certum atqve exploratum redditur, Saxoniae Palatinatum antiqvitus eiusmodi fuisse Ducatus Saxoniae accessionem, ut ab eo abesse potuerit, et revera interdum abfuerit, separatasqve rationes habuerit. Etenim Bernhardus Ascanius, Alberti Vrsi filius, A. cIↃ. CLXXX. in comitiis Herbipolitanis Ducatum Saxoniae ritu solenni beneficiario obtinuit, Palatinatus autem, qvi iam diu ex Saxonia transveserana in Cisveseranam deductus erat, Landgraviis Thuringiae ex diversa causa partus, atqve ab Saxonia Cisveserana, in cuius ditionem Thuringia transvnstrutana transiit, ac diu Northuringiae nomen retinuit, saepeqve propter*

pter

pter eius fines habita est controversia, ablatus fuit. Qvamobrem, proscripto Henrico Leone, et praeter Baioariae Saxoniaeqve Ducatum, Palatinatu Rhenensi Saxoniaeqve privato, primo Hermannus Thuringiae Landgravius, beneficio Friderici Aenobarbi appellatus est Saxoniae Palatinus, eiusqve adiectione tituli distingvitur a fratre Ludovico V. apud Arnoldum Lubecensem, Chron. Slav. lib. 2. cap. 30. et 36. *Qvanqvam Cyriacus Spangenberg et Petrus Albinus existimant, Palatinatum* Saxoniae *prius Ludovico V. beneficiaria lege fuisse addictum*, spec. Nobilit. pag. 306. Chron. Misn. pag. 192. *A Landgraviis Thuringiae pervenit ad Marchiones Misniae, fuitqve apud hos a tempore Henrici illustris usqve ad tempora Alberti II. Ascanii, qvippe qvi Rudolfi Habsburgii, qvem suffragio suo imperatorem renunciaverat, permissu beneficioqve Saxoniae Palatinatum impetravit, tametsi ipse ac eius successores non semper titulo ratione Palatinatus* Saxoniae, *neqve ratione officii imperialis debito uterentur, et donec superessent ex gente Ascania Saxoniae Duces atqve Electores, scriptura qvoqve tituli* Electorum *prudenter fere abstinerent, partim ob Marchiones Misniae, qvi mortuo Alberto II. Saxoniae Palatinatum vindicabant, partim ob reliqvos imperii Principes, qvorum sive invidia, sive aemulatio recentioris usu tituli excitari potuisset. Interest enim cuiusqve internoscere, qvale sit Melchioris Goldasti diploma, qvod Alberto II. Ascanio tribuit,* Pol. Reichshandl. part. 1. ad A. 1291. *Primo enim Thuringiam inserit, qvae iamdudum Marchionibus Misniae attributa, ac nominatim A. MCCXLI. Henrico eius nominis illustri concessa fuerat. Verba diplomatis, qvae qvidem huc faciunt, concepta haec sunt.* Tibi post mortem avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiae *(designatur Henricus Raspo, Veteris Landgraviorum familiae postremus, qvi qvinto post anno, qvam a Friderico II. facta beneficiaria Henrici illustris inauguratio erat, propterea qvod ab Innocentio IV. Pontifice instigatus Caesaream dignitatem affectasset, apud Vlmam caesus est)* duos principatus suos, videlicet Landgraviam Thuringiae et Comitiam* Palatii Saxoniae, *(unde intelligitur, Thuringiae Landgraviatum nulla praeterqvam Imperatoria concessione institutum, nec alio titulo hereditarium Thuringiae Principum ius fundatum delatumqve esse ad successores : qvod de Palatinatu, tanqvam ex diversa causa Imperatorum beneficio acqvisito, minus dubitationis habet)* et omnia alia feuda, qvae a nobis et Imperio tenentur cum ipsorum pertinentiis, iure contulimus feodali *: et qvae*

* Stylo XIII. sec. qvo Palatina Comitia dicitur Chron Gozec. p. 229. Similiter Comitatus et Comitia in Speculo Sax. qvod eodem seculo conscriptum est, commutantur, lib. 3. 131.

alia 52.

alia ibi seqvuntur, qvae sane sunt praeter meum institutum. Deinde titulum Electoris, *non modo non praeter consvetudinem istius seculi, sed etiam praeter morem scribendi pragmaticum perpetuo alias receptum, sui oblitus adducit: quandoqvidem dignitas Imperii officialis multo ante acqvisita, usu pragmatico praeponitur titulo Electoratus, non modo qvia hic longe post acqvisitus, sed etiam qvod, postqvam acqvisitus erat, non simul usurpatus, neqve ad hunc modum instituto Curiae receptus fuit. Qvod Goldastus plane invertit, ut vel hoc indicio sit, eius tituli scripturam non esse sumptam ex tabulis indubitata fide praeditis, ac eos qvoqve erroris admonere posse, qvi iam tum Alberto I. Patri ipsius titulum Electoris adscribunt, qvanqvam is nec uno alteroqve statim facto, et inter Imperii turbas, reqve publica male affectae gesto, et adeo per se ad pariendum ius non idoneo, neqve suffecturo, sed iniqvo etiam, et cum iniuria Caesarum Hohenstauffiorum, qvibus legitima electione Caesarea dignitas iam ante parta fuerat, coniuncto, eiusmodi ius obtinere potuit. Revera autem ac sine controversia demum illud obtinuit Albertus II. ipsius filius, qvippe qvi qvatuor legitimis electionum Caesarearum actibus interfuit, atqve a Rudolfo Habsburgio, Imperii factionibus fessi instauratori, privilegium electionis, qvae ante ad omnes pertinebat, nunc vero reliqvorum silentio patientiaqve ad septem Principes redacta erat, tabulis eo concessis consecutus est, titulum tamen Electoris nunqvam, nec Mareschalli adhibuit. Qvod adeo verum est, ut affirmem, scripturam tituli Archimareschallatus imperii circiter Caroli IV. tempora coepisse, ac multo post, et inseqventi sane seculo, adiunctum fuisse electoratus titulum, et lata etiam anno MCCCLVI. de Imperii Electoribus pragmatica constitutione, nondum asciviſſe sibi hunc titulum, qvod vel sola VVenceslai Ascanii diplomata, anno MCCCLXXIIX. et seqvioribus temporibus prodita, evincunt. Cum vero omnes sciant, id salvo iure atqve omni dignitate, qvae ratione Electoratus convenit, intelligi, et luculenter alioqvi tabulis Caesarearum inaugurationum confirmari; tum huc attinet observari, ipsos etiam Saxoniae Duces non-Ascanios, qvi ab Conrado Timonis filio descendunt, illius scribendi moris haud fuisse immemores, et Fridericum I. bellicosumqve, filium huius Fridericum placidum fere contentos fuisse scribere se* S. I. Archimareſcallos, *donec Ernestus utrumqve titulum Archimareschalli Electorisqve coniungeret, atqve ab eo tempore haec scribendi ratio atqve consvetudo firma stabilisqve permaneret. Qvod legentibus diplomata, qvorum bene*

multa

multa in manus meas venerunt, non potest esse incompertum. Verum Palatini Saxoniae *titulum Marchiones Misniae tuendi iuris sui gratia constanter retinuerunt, et qvamlibet mortuo Henrico illustri, donatione Rudolfi Habsburgii in Albertum II. Ducem Saxo-Ascanium collatus, atqve anno MCCCLXXXVI. VVenceslao Ascanio, successoribusqve eius confirmatus est,* apud Melch. Goldast. tom. I. const. imp. ad d. A. *tamen neqve sic Marchiones Misniae destiterunt usurpare, qvod docent multa diplomata, longe post illam Caroli IV confirmationem edita pariter et manuscripta, ex qvibus vel unum hoc* Friderici et VVilhelmi *fratrum fidem nostrae sententiae faciat, qvod A. MCCCCIX. hac tituli scriptione legitur.* Nos Fridericus senior, et VVilhelmus fratres Germani, divina favente clementia, Duringiae Landgravii, Marchiones Misnenses, et Comites Saxoniae Palatini. *Plura afferre supervacuum est, etsi praeterire nolo, Marchiones Misniae postea, qvam Albertus III. Ascanius propaginis suae ultimus A. MCCCCXXII. e vita decesserat, cum Ducatu Electoratuqve Saxoniae Palatinatum simul per Fridericum bellicosum obtinuisse, ut argumento esset, Saxoniae Palatinatum, qvi alioqvi salvo electoratu penes alium esse posset, et revera aliqvando a ducatu Electoratuqve Saxoniae abfuisset, nunc ex repetita Sigismundi Lutzelburgici anno MCCCCXXV. confirmatione, intelligi perpetuam esse Electoratus Saxonici accessionem, atqve adeo hodie Saxoniae Electori, non tanqvam Marchioni Misniae, qvod olim Marchionum postulatum erat, sed tanqvam Electori Saxoniae convenire. Vide* diploma beneficiarium apud Petrum Albinum Chron. Misnens. tit. 16. Balth. Mencium in explicat. stemmat. Ducum Saxon. in Friderico bellicoso; qvibus addantur Ioannes Cuspinianus, scriptor gravis Austriacisqve tabulariis usus, in Sigism. Cyr. Spangenberg rerum Saxonicarum oppido peritus, nisi qvod in antiqvis genealogiis ac temporum rationibus non semel haesitavit, ut qvando Rudolfo I. Ascanio epistolas anno 1290. scriptas perinepte attribuit, lib. 3. Chron. Qverfurt. cap. 27. et specul. Nobilit col. 318. Ipsae tabulae, qvarum exemplum est a me proditum, in sanctiori curia Saxonica hodieqve asservantur. *Ceteroqvin usqve a Friderico bellicoso Marchiones Misniae, postqvam Saxoniae palatinatum, tanqvam Electoratus Saxonici accessionem beneficiariam susceperant, eo titulo abstinuerunt, non ut iuri, qvod ratione illius* ex cap. 5. aureae bullae *ad domum Saxonicam pertinet, qvodqve etiamnum durat, se privarent, aut insignibus propter*

eum convenientibus renunciarent, et qvoqvo modo derogarent, sed qvo usui vulgari loqvendi hoc darent, ut soli Principatui Rhenensi nomen Palatinatus relinqveretur. Alioqvi in diplomatis, qvae dicuntur, investiturarum expressa Palatinatus Saxoniae mentio fit, et certe hinc intelligitur, Palatinatum Saxoniae, Archimarescallatui dudum apud Ascanios instituto accessisse, atqve ex eo tempore coepisse, et Palatinatum adeo post Electoratum qvoqve esse acqvisitum, licet ille prius in scripturam tituli redactus, et postea etiam, qvam forma et consvetudo variavit, plane omissus, contra autem Archimarescalli atqve Electoris titulus perpetuo usu tenoreqve scribendi retentus firmatusqve fuerit. Illud vero non piget adiicere, recentiores plerosqve scriptores allegare titulos antiqvis diplomatis non consentaneos, inter qvos sunt Ernestus Brotuffius, *non modo qvod praeter historiae fidem origines Ascanias a Bernthobaldo repetit, sed etiam qvod Bernhardo Alberti Vrsi filio* Electoris atqve Ducis *Saxoniae titulum attribuit,* Chron. Anhalt. lib. 4. col. 64. *tametsi tunc nullum certo numero definitum electionis ius acqvisitum erat,* Balthasarem Mentzium, *et plures alios, qvi acqvisito definitae electionis iure, constitutoqve septem eligentium numero, protinus et nullo discrimine adhibent imponuntqve* electoris *titulum, qvem non ratione vero simili, aut sola coniectura, sed usu consvetudineqve scribendi iudicari oportet:* de stemmat. atqve orig. Duc. Sax. *Is enim ubi ab Ascaniis discesfit, Fridericum bellicosum affirmat scripsisse titulum* Ducis atqve Electoris Saxoniae, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, et Palatini Saxoniae. *Verum nemo est, qvin certum habeat,* electoris Saxoniae *titulum non esse ex usu curiae: deinde in diplomatis non dubiis, qvae ego qvidem vidi et legi, Dux Saxoniae, et sacri Rom. imperii archimarescallus nominatur, ut propterea, si electorem se scripsisset, primo Saxoniae ducem, dein sacri Rom. Imperii archimarescallum atqve Electorem scripturus se fuisset. Neqve id repetere nunc vacat, qvod iam supra dixi, tempore Friderici bellicosi titulum Palatini Saxoniae in desvetudinem abiisse, qvem qvidem ex ea gente primus usurpaverat Henricus illustris. Praeterea extant Friderici II. cognomine placidi literae, ac in meis manibus versantur, qvibus continetur titulus* Ducis Saxoniae et sacri Rom. Imperii Archimarescalli, *nulla tituli neqve Electoratus, neqve Palatinatus facta mentione, de cetero modus atqve ordo tituli Landgravii Thuringiae et Marchionis Misniae servatur. Omnino autem Ernestus, Friderici placidi filius, a iure veteribus* investiturarnm Cae-

sarea-

sarcarum *diplomatis fundato qvoqve titulum recepit, et coniunctim sacri Roman. Imperii Archimareschallum atqve Electorem se scripsit. Qvod auctoritate exemploqve omnes ipsius in Saxonico electoratu successores confirmarunt, et postqvam ex diplomatis Caesareis a Friderico III. et Maximiliano I. concessis, atqve a Rudolfo II. novissime confirmatis, ius in Ducatum Iuliaci Montiumqve ab Alberto animoso, cuius gratia haec scribere ingressus sum, tanqvam a primo acqvirente ad se derivatum acqvisiverunt, neqve eo secius, licet ex alia acqvirendi causa, speciatimqve ex pacto nuptiali, ius in Ducatum Cliviae a Ioanne Friderico I. tanqvam ab auctore ad se deductum transmissumqve, spe agnationis usqve huc tenuerunt, sane insignem veteris Saxoniae partem, licet diversa acqvirendi ratione, praetendunt, et praescripto Ducum Iuliaci, Cliviae Montiumqve titulo ius tuentur, more Principibus familiari, et inter cultiores gentes recepto, qvando animo retinent rerum regionumqve amissarum iura. Cetera Saxoniae, qvae nova dicitur et transalbina*, pro ea parte, qva est in patrimonio Lauenburgico, *ex pacto Ducis Iulii Francisci cum Electoribus, Ducibusqve Saxoniae super mutua successione anno* cIↃ IↃc LXXI. *inito, ad Electores Ducesqve Saxoniae perveniet, si extiterit conditio, qvae illo continetur, Duxqve sine liberis maribus legitime descendentibus decesserit. Qvod sane eo factum existimari possit, ut Saxonia, qvae dicitur superior, qvaeqve olim sub Ducibus Saxo-Ascaniis cum principatu Lauenburgico coniuncta fuit, sub Ducibus Electoribusqve hodiernis postliminio aliqvando coniungatur. Ne dicam, qvod alias non dissimulo, ea qvoqve ratione iniqva iudicia* Alberti Cranzii *opportunissime refelli posse, ut qvi passim in Saxonia qvaesiverit materiam superioris Saxoniae Duces Electoresqve carpendi, nunc vero ipsiusmet Ducis Lauenburgici exemplo, pactoqve, novissime facto, et priusqvam hoc fieret, tabulis Sigismundi Imp. A. MCCCCXXV. et MCCCCXXXIV. exaratis, abunde possit confutari.* V. Georg. Spalat. Chron. anno 1553. cum praefatione Phil. Melanchth. editum. *Ceterum consulto scriptum est, Saxoniam transalbinam nunc a me considerari* pro ea *parte*, qva est in patrimonio Lauenburgico. *Eqvidem tractus iste Lauenburgicus, qvi nomen Saxoniae transalbinae etiamnum qvoqve retinet, una duntaxat est portio* Saxoniae *transalbinae, ex qva Holsatia, VVagria atqve Stormaria attributae, et certe postliminio restitutae sunt Adolfo Holsatiae Comiti, Lubeca auspiciis Friderici Aenobarbi in libertatem Imperii asserta est.* V. Arnold. Lub. l. 2. chr.

 cap.

cap. 36. *De Dithmarsia armis disceptatum est inter Antistitem Bremensem, et Comitem Oldenburgicum, sed illius causa vicit, nisi qvod nomine compensationis sumptuum in eam expeditionem factorum ab Adolfo Holsatiae comite vindicata, ac non multo post eidem praerepta fuit. Similiter Vrbs Hamburgensis saepe mutavit suos dominos, et postqvam praefectos Imperatorios habere desiit, primo in ditione ducum stirpis Billinganae fuit, dehinc ad Gvelfos, mox ad Holsatiae Comites pervenit, atqve bis erepta a Danis, auspicio VValdemari regis sine ulla iuris Danici exceptione, Alberto Comiti Orlamundae vendita est, a qvo demum, numeratis MD argenti libris iura atqve immunitates suas emit, seqve hoc pacto honestissimo in libertatem vindicavit, omnino est sita in Saxoniae transalbinae solo, salvo tamen sacramento* fidelitatis, *qvo duci Stormariae, et civilis obseqvii atqve* subiectionis, *qvo nullo interiecto, Imperio illigatur, eoqve in statu repetitis non ita pridem a Leopoldo Caesare diplomatis conservatur.* Vid. Adamus Bremensis lib. 2 hist. Eccl. cap. 4. qvi tantum in commemoratione originis Billingiae ex VVitichindo Monacho est corrigendus, Abbas Stadensis ad A. DCCC LXI. Alb. Cranzius lib 4. Sax. cap. 16. lib. 5. cap. 26. Fr. Irenicus exeges. lib 3. cap. 61. at saepe circunspecte legendus, praesertim priori cap. 60. ubi talem adducit Henrici superbi titulum, qvalem nec admittit istius aevi stylus, neqve approbat curiae Gvelficae usus, ut alibi ex professo est demonstrandum. Vbbo Emius rer. Fris. lib. 7. p. 108 sed qvi paulo post ex Arnoldo Lubecensi lib. 2. Chron. Slav. cap. 36. emendandus est, dum non accuratas init patrimonii Gvelfici rationes: neqve eo secius Ludovicus Persona in oratione alioqvi erudita de VVitteberga habita, atqve anno 603. cum eius Academiae sacrum saeculare esset, edita. D. Chytraeus Sax. lib. 2. H. Meibomius op. hist. in vind. Billing. p. 305. seq. Petrus Lambecius Orig. Hamburg l. 1. *Tantum in extremo huius commentationis est addendum, nunqvam Saxoniam neqve ab antiqvis Romanorum Imperatoribus devictam, neqve ab ea nomen titulumqve susceptum fuisse. Contra nummi suppetunt multi, qvi doceant, Franciam, Alemanniam, ceterasqve eius generis provincias non modo a Romanis imperatoribus subactas esse et triumphatas, sed etiam nomina earum ad adornandos instruendosqve Augustorum titulos valuisse. Qvod late a me explicatum est in historia* Saxonica *manuscripta. Proinde recte scribit* Io. Tilius lib. 1. de Or. Franc. *totam Germaniam nunqvam potuisse subigi a Romanis, Franciae autem sub-*

actae testimonium habet numus antiqvus, qvem attulit Ezechiel Spanhem. de numism. p. 750.

Sacro ablutus baptismi lavacro est.) *Ex qvo VVittekindus Angaria, veteris Saxoniae regione oriundus, tandem animi magnitudinem reverentia Christiani nominis amoreqve pacis temperavit, auxit vires famamqve Carolus, et cum religionem amplificavit, tum certe potentiam auctoritatemqve apud Saxonas stabilivit. Rectene, an perperam, res alibi consideratu digna fuit: nunc satis est, memoria tenere locum, qvem VVittekindus suscepto veri Dei cultu illustravit.* Boiemus noster Mittebachium *nominat, forte VVestphaliae oppidum, qvod Medebacum dicitur, ac etiamnum in ditione Antistitis Coloniensis est, indicans.* Alb. Cranzius *licet dubitanti similis, aliorumqve narratione fretus, Bardevicum antiqvissimum in Ostphalis oppidum fuisse memorat, ubi VVitekindus primo se ad societatem Christianae religionis adiünxerit. Mox addit, alios existimare, Mindae apud Visurgim sacra primo esse amplexum,* lib. 2. Sax. cap. 23. Qvod, ut alias solet, ex eo repetit Ioannes Palatius in aqvil. Saxon. p. 7. VVernerus Rolevincius, *qvi in dioecesi Monasteriensi natus est, et* Saxo*niam alioqvi praeclare cognitam habuit, plane sui immemor fingit, Bethlehemi in VVestphalia sacro fonte ablutum,* lib. 2. cap. 7. de situ et morib. VVestphal. *Qvae opinio cum nullo antiqvitatis monumento congruit, dudumqve a viris doctis est reiecta, etsi nuper eam cum Rolevincio communem habere voluit* Ioannes Iustus VVinckelmannus historicus Hassus, in notitia historico-polit. Veteris Saxo-vvestphaliae lib. 3. cap 3. p. 388. *Contra scriptores Francici una mente atqve animo affirmant, non in Saxonia, sed Atteniaci in Francia VVittekindum Saxonem Christi sacris initiatum fuisse.* V. annales Fr. Pithoeani ad A. DCCLXXXV. annales Fr. a Reubero editi ad A eundem. *Sed qvis fuerit antistes, qvi eius abluendi curam munusqve gessit, in ambiguo est.* Boiemus noster *asserit fuisse Bonifacium, Moguntiae antistitem. Qvod iterum historiae certa argumentorum fide roboratae repugnat. Etenim Bonifacius anne post natum Christum DCCLV. in vivis esse desiit, qvod* testantur Hermannus Contractus, Lambertus Aschafnaburgensis, Marianus Scotus, ex recentioribus Gaspar Bruschius, et Petrus Merssaeus in Chronic. catalog. atqve annalibus Archiepiscoporum Mogunt. ad d. A. *(Sigebertus unum retro numerat) VVittekindus autem primum anno DCCLXXXV. sponsore apud sacrum fontem Carolo, ab idolorum cultu mysteriis initiatus*

 fuit.

fuit. Proinde sunt, qvi Lullum* Bonifacii in archiepiscopatu Moguntiae successorum hoc munere perfunctum tradunt, sed nullo auctore veteri et ad probandum idoneo. Alii putant, has partes obiisse Ludgerum, Ecclesiae Mimingrodensis (Monasteriensis VVestphalorum) antistitem, qvanqvam nec huius sententiae certum proferre documentum possunt. Itaqve missas facio inanes irritasqve coniecturas, et omnino Vbbonis Emmii iudicium probo, qvi fatetur hoc omne esse incertum, atqve adeo in medio reliqvendum: rer. Fris. hist. lib IV. ad A. DCCLXXXV. Ceterum qvi animos adhibent, ut de Caroli actis recte existument, facile intelligunt, VVitekindum non tam armis, qvam religione victum esse atqve emollitum, deinde hoc Caroli consilium non ad solum VVitekindum, sed ad universum Saxoniae populum, apud qvem magna VVittekindi auctoritas erat, pertinuisse: tum propter hanc causam in Saxonia ad regni Ostrofranciae ditionem redacta varios episcopatus instituisse, sed non simul cum VVitechindo universam Saxoniam in Caroli potestatem venisse, neqve anno DCCLXXXVI. qvo editum diploma Verdense est, omnes statim populos Saxonum Carolino imperio paruisse, difficilimosqve ad obseqvium fuisse Saxones transalbinos, hisqve demum subactis, et in Franciam traductis, dominatorem Saxonum se scripsisse, et non modo diversos eorum populorum Ordines dissimili ratione ac diverso regnandi modo habuisse, atqve disparem adeo nobilitatis Saxonicae et plebis conditionem sub uno eodemqve Ostrofrancico regno fuisse, nunqvam autem eo crudelitatis Carolum processisse, ut iudicio sangvinario, qvod dicitur, Vehmico fidei fractae crimen in Saxones vindicaret, ac postremo impeditis discordiis Carolingis, reqve publica factionibus perturbata, magnam superioris status factam esse conversionem, et Saxoniae Adelingos cumprimis dignitate privilegiisqve crevisse. Qvae et talia colligi atqve iudicari possunt ex Eginharto de vit. Carol. M. cap. VII. VVitechindo annal. Sax. 1. pag. 6. et qvi hinc exscribit, Adamo Bremensi, l. 1. hist. Eccl. cap. VII. ubi Franci atqve Saxones sic coniuncti inter se dicuntur, ut unum populum unamqve gentem efficiant. Consentit Poeta Paderbonensis, Arnolfi Imp. aeqvalis, carmine qvidem haud eleganti, sed vero, cuius sex versus inprimis huc pertinent, qvi libro qvarto cum A. DCCC III. congruenti in eandem sententiam leguntur. Verba diplomatis Verdensis, qvod uno anno post initiatum sacris VVittekindum est compositum, *non oppressam penitus et extinctam Saxonicae gentis libertatem indicant, sed

* In diplomate Verdensi vocatur Lullo, qvod manu testimonioqve suo firmavit, et Luilo subscripsit, fuitqve magnae auctoritatis, et primae Germaniae pontifex, atqve Ecclesiae Verdensi recens suffraganeae Moguntinensis, cum dignitate Metropolitana praepositus.

* A. DCCLXXXVI. qvod extat in sylloge diplomatum novae Adami Bremensis editioni subiunctorum. Verba haec sunt. Terram autem eorum (Saxonum) secundum an-

sed valent ad describendam immutatae reipublicae Saxonicae formam, qvippe qvae antea iure polyarchico, nunc vero unius Caroli imperio obnoxia, per praefectos ab eo impositos, salva tamen gentis libertate, regebatur. Tabulae, *qvas edidit Ferdinandus Paderbornae Antistes,* * Privilegium Osnaburgensis Ecclesiae continentes, *vocabulo* dominatoris *tantum exprimunt supremum Caroli in Saxones imperium, non simpliciter, qvale heri in servos est, sed qvatenus intelligitur ex diversa causa a regno Franciae, in qvod* Saxones *cum Francis coaluerant, esse acqvisitum. De VVittekindo constat inter omnes, non captum, neqve in servitutem redactum, sed fide publica venisse ad Carolum, et pacto se atqve conditione retinendae libertatis subiecisse. Haud aliter cum reliqvis eius gentis proceribus, qvorum flos atqve robur* Graviones, *materia et qvasi seminarium* Adelingi *erant, actum fuit. Qvin imo ipse* VVittekindus, *trans Visurgim dicundo Saxonibus iuri praefectus, exemplo docet, non tulisse se iugum servitutis, sed retinuisse libertatem. Qvanqvam non diffitebor, gentem Saxonicam cumprimis sub imperio Saxonum ad altissimum dignitatis gradum provectam, honoribus in republica maximis esse auctam. Prodit sane Corbeiae monachus, Henricum Aucupem, qvi et primus Saxoniam urbibus firmavit, totum fuisse* in exaltando gentem suam, annal. Sax. 1. pag. 14. atqve ex eo Conradus Vrspergensis ad A. 920. *Qvae opinio munitur qvoqve auctoritate diplomatis Bremensis, qvod* *anno DCC LXXXIIX. conscriptum posteritati conservavit* Magister Adamus, *aliter Bremensis nominatus, ac non minus ad confirmandam* Saxonicae *gentis libertatem, qvam ad convenienter explicandas tabulas Verdenses pertinet:* lib. 1 H. E. cap. 10. *Nam siqvid etiam de libertate* Saxonum *detractum fuerat, id affirmat Carolus ab se restitutum, Saxonesqve* pristinae libertati donatos, *ut vel ex eo liqvet, qvod cum ipsorum Adelingis honores et munera reipublicae communicavit: qvod ad plebem sane universam trahi non debet, et sufficit, honoratiores eius gentis ordines aeqvali cum Francis iure dignitateqve floruisse. De iudicio Vehmico haud necesse est qvicqvam addere, qvanqvam id assensu suo comprobavit* Melchior Goldastus, *VVipponis Conradi Saliqvi sacellani fide nixus,* prolegomen. specul. Saxon. *cui eqvidem multum tribuo in historia Conradi, tanqvam plurimorum eius actorum testi oculato, in reliqvis autem, qvae nec vidit ipse, et ab aliis perperam tradita accepit, non peraeqve assentior, cuiusmodi est, qvod de* lege crudelissima Saxonum *a Conrado* Saliqvo *confirma-*

tiqvum Romanorum morem in provinciam redigentes.

Qvae dictio fere repetitur in diplomate Bremensi A. DCC LXXXVIII. confecto.

* In monument. Paderbornensibus p. 201.

firmata refert, pag. 430. edit. Pistorianae. *Eo minus credendum est commemorationibus* Henrici Hervordiensis, Aeneae Sylvii, postea Pii secundi Pontificis, VVerneri Rolevincii, Felicis Fabri, Alberti Cranzii, Ioannis Aventini, Ioannis Cuspiniani, Iacobi Spigelii, Vbbonis Emmii, *virorum sane praestantissimorum, nisi qvod nimis creduli, fabulam duobus post Carolum M. seculis lepide confectam serio amplexi fuerunt.*

Ecberti II. Marchionis Misniae.) *Multa sunt, qvibus moveor, ut existimem,* Boiemum nostrum *hic seqvi sententiam atqve opinionem Georgii Fabricii, qvem in oratione pro Augusto Electore habita laudat praeceptorem, praeterqve eum insigni testimonio ornat Nicolaus Leutingerus, commentar. de Marchia* part. 6. lib. 3. col. 68. *Is vero licet praestanti ingenio atqve in historiae exercitato esset, tamen hic prodidit, qvae approbare non possumus,* orig. Sax. lib. 3. p. 376. et lib. 5. p. 536. *Nam qvilibet per se existimare potest, Ecbertum fuisse Marchionem* Saxoniae, *cuius morte Marchionatus Misniae, qvippe qvi a marchionatu* Saxoniae *maxime diversus erat, non potuit fieri vacuus, siqvidem non fuit in ditione eius, tametsi omne studium operamqve contulit, ut Misniam Henricus senior, ad qvem iure pertinebat, recuperaret. Vid. post Lamb. Aschaffnaburg.* P. Albinus Chron. Misnens. tit. 10. *Nec opus nunc est, ut reqviram, qvid Fabricio secus sentiendi occasionem dederit, eo qvod alias exploratum sit, eum saepe incautius secutum esse Ernestum Brotuffium,* l. 2. Chr. Merseburg. cap. 21. *Atat non sine causa hic in historicis diligentiam desiderat Fabricius, et confitetur, esse obscuram huius argumenti historiam, atqve tam negligenter traditam, ut ne qvidem nomen Timonis in scriptoribus Henrici IV. Imperatoris Salici aeqvalibus reperiatur. Alioqvi non debuit nescire, Monachum Lauterbergensem meminisse Timonis, et Tiderici huius nominis II. filium nominasse, atqve origines maternas ab Eckardo I. Marchione Misniae vere meritoqve deduxisse,* Chron. ad A. 1171. et appendix pag. 202. *A Timone per Conradum, qvi huius propaginis primus* investitus *Marchio Misniae fuit, descendunt continuata serie hodierni Marchiones Misniae, qvi et Saxoniae Duces atqve Electores sunt, qvorum genealogia est apud* Reinerum Reineccium, de integro a Madero proxime edita, et Chronico Lauterbergensi praefixa, Dav. Chytraeum Sax. lib. 2. p. 48. seq. Georg. Fabricium orig. Sax. ad p. 424. Eliam Reusnerum in stemmate VVitichindeo, Cyr. Spangenberg, Andream VVernerum Chron. Magdeburg. Vbbonem Emmium in geneal. Saxoniae Principum, qvae

addi-

addita est eius historiae rerum Frisicarum editionis Arnhemiensis, postea in Lugdunensi omissa, et *alii enarrandis Saxonici generis originibus occupati, inter quos tamen hoc interest, quod multis fiducia operae ar-duae, multis negligentia obstitit, quominus eas eruerent recte atque pensitarent. Cum vero hoc omitto, tum id tacitum intactumque praeterire nolo, quod, licet Marchionatus Landgraviatusque titulo in republica Germanica principales, et sublimi territoriorum potestate comprehensae dignitates denotentur, atque earum ratione sive initia causaeque, sive occasio data fuerit plures atque insigniores Principatus acquirendi, tamen crebro comitiorum usu pateat notumque sit, atque ex rerum imperii principatuumque contextu intelligatur, Duces Saxoniae atque Electores summum in Consessu Electorum, atque Imperii Principum reque publica Germanica locum, dicendique virium sententiae* ius et privilegia plane regia, atque immunitates maxime memorabiles et antiquas de non provocando a non evocando obtinere. Quibus rebus maxime eminet Saxonica Domus, et hoc proprium ac peculiare habet, ut non alio, quam suo et Saxonico iure, cuius custos conservatorque, et ut stylo pragmatico loquuntur, summus Protector, est Saxonicus Elector, utatur atque censeatur. Eo vid. Andr. Knichen, Dom. Arumaeus, Io. Limnaeus, et communiter iuris publici scriptores.*

* *Sed ratione Principatus Hennebergici, non qua Duces Saxoniae, sed qua Condomini huius Ostrofranciae Comitatus, dignitate Principali aucti, in Comitiis comparent. Vid. Arum. Vol. 1. disc. 9. de Comit. Imp.*

Fridericum gravem designatum regem Roman.) *Vere prudenterque literis hoc mandavit, ut intelligat posteritas, quae vires eius domus, quod nomen atque auctoritas semper fuerit. Vere, quia praeter imperii acta, Albertus Argentinensis his verbis commemoravit.* Principes Electores vocato Friderico Marchione Missenensi, ab nepote quondam Friderici imperatoris ex filia eius, genero praedicti Ludovici Principis defuncti, in principio mensis Iunii in Kans Bavariae convenerunt, ubi inter eos actum est, quod idem Marchio praedictam Beatricem in uxorem duceret, et de Romano regno ad eorum electionem intromittere se deberet, Chron. p. 145. 146. *Prudenter, ut haec [illegible] Romanorum imperii gloria ab oblivione vindicetur, cum sint, qui [illegible], praecipue scriptores Bohemici, quale fatum ex eadem [illegible] expertus est superiori seculo Fridericus III. El. sapiens, quem eadem [illegible] dignitatis augustae gloria splendoreque Hispani fraudare voluerunt, atque eo consilio partem commemorationis de Friderico El. institutae ex Chronico Funcciano deleverunt. Verum cessit Fridericus gravis, et [illegible]*

 eius

eius potentiam disfidiaqve Carolo Lutzelburgico haud invite ius suum vendidit, Alb. Argentinensis ibidem, ex eoqve Hier. Megiserus in annalibus Carinthiae lib. 9. cap. 13. Huld. Mutius Germanor. Chronic. lib. 25. Laurent. Peccenstein in Illustr. VVittikind prosap. in Friderico II. *ex qvibus constat, Fridericum Misniae Marchionem imperatorem consalutatum consensisse qvidem primo in eam electionem, mox autem artibus persvasionibusqve Caroli IV. inductum, numeratis X. millibus argenti libris, promissisqve aliis liberalissime factis delinitum, proposito destitisse, iuriqve suo penitus renunciavisse. Huius Friderici* Carolus IV. in vita sua *ab se descripta meminit, atqve affirmat, studio Ludovici Bavari imp. socii atqve foederati Anglorum, sub Edoardo VI. contra Gallos, qvibus Ioannes Caroli IV. pater militavit, stipendia meruisse,* pag. 102. edit. Freher. *Proinde nunc abunde intelligitur, secretum Caroli metum fuisse erga Fridericum, vicinum sane viribus validum, et expertae fortitudinis, ac necessitudine Domui Bavaricae innexum,* sine cuius amicitia aut non conseqvi imperium, aut vix retinere potuisset. *Qvod sane exemplum pro eo, ac debuit, apud animum reputavit filius ipsius Sigismundus Princeps, ut de eo scripsit Cominaeus, ingenio valens et longo rerum usu peritus, qvi Friderici gravis nepoti, cognomine bellicoso, beneficiis magnopere obstrictus erat, non refecturus lapsas res, nec servaturus Bohemiam, si eo adiutore caruisset: qvi amor mutuus non cum Lutzelburgicis imperatoribus extinctus est, sed in successoribus Austriis robur incrementumqve cepit, qvod vel ex historia Alberti nostri colligere plus satis licet, et alibi a me est copiose explicatum. Pertinetqve huc pactum, qvod dicitur, unionis, qvod Rex Bohemiae et Electores Ducesqve Saxoniae iamdudum inierunt, et postqvam Electoratu privatus est Ioannes Fridericus, de integro cum Mauritio confirmarunt, atqve se perpetuo defensionis foedere obstrinxerunt, qvod de pacto successionis vulgo interpretandi ansam dedit Eberhardus a Weyhe.* V. Acta Bohemica anno 1548. edita, et Goldast. de regn. Bohem. lib. 6. cap. 18. *Cuius religio pacti maxime ei regno profuit, et novissime Ferdinando II. Caesari hunc fructum tulit, ut sociali bello ab Saxone contra dominatum externum defenderetur, et antiqvo pactorum successionis necessitudinisqve iure Domui Austriae conservaretur. Qvinqvam et primi, qvum Austrii in perpetuam continuatamqve eius regni possessionem venerunt, Wilhelmus Saxo, Friderici placidi frater, prudentis moderatiqve Principis significationem dedit,*

qvod

qvod regni eius ex affinitate potiundi spem, ac necessitudinis cum Alberto II. Caes. et Ladislao eius filio, Bohemiae regibus contractae titulum omitteret. Omnino enim iuris sui rationes repraesentavit, sed consilium adipiscendae possessionis tranqvillitati publicae amoriqve Austriae domus remisit, etsi qvoqve huic a Georgio Podiebracio et Vladislao Polono est praereptum, ac primum Ferdinandi I. auspiciis in ditionem potestatemqve Austriae gentis rediit. Diserte enim Aeneas Sylvius, *diligens illorum temporum scriptor, id prodidit, et his verbis testatum reliqvit.* pari ratione *(respicit ius uxorium a Casimiro Poloniae rege ex eodem capite praetensum)* Gvilielmus Saxoniae Dux utebatur; cui soror natu maior (*Ladislai posthumi, Alberti II. F. cui Annae nomen erat*) nupsisset: histor. Bohem. cap. 72. ex qvo repetit VVenceslaus Hagecius Chron. Bohem. part. 2. col. 166. ex eoqve Martinus Boregk. Chron. Bohem. part. 2. col. 541. *qvi tamen mox de facto hoc dubitat, propterea qvod in annalibus Misnensibus nil tale contineatur, qvae ratio dubitandi cur nullum hic momentum habeat, qvilibet intelligit, qvi cum animo cogitat, non inesse vim in argumentis, qvae a silentio struuntur.*

Nobilem ab excepta Academia Pragensi.) *Eam historiam erudite ac summatim complexus est Matthaeus Dresserus, in oratione de Cancellarii munere anno MDXCIV, Lipsiae habita. Adiungi possunt* Iacobus Cardinalis Papiensis, Aenea Sylvii aeqvalis, nec diligentia inferior, Comment. lib. 6. Paulus Langius in Chron. Citiz. an. MCCCCVII. Alb. Crantzius Vand. lib. 10. cap. 1. Ioannes Dubravius hist. Boiem. lib. XXIII. VVenceslaus Hagecius Chron. Bohem. part. 2. pag 66. Mart. Boregk. Chr. part. 2. p 343. Zacharias Theobaldus bell. Hussit. part. 1. an. 1408. *unde ostendere liceat, Academiam Lipsiensem et coloniam esse academiae Pragensis, et literarum in Misnia instauratarum matrem, et fama usqve eo floruisse, ut a viris doctis* academia augustissima *appellaretur: qvod didici ex epistolis sub initium superioris seculi scriptis, ut Balthasaris Liebt, atqve aliorum. Fuitqve ibi Ioachimus Camerarius, qvod olim in VVittebergensi nostra Philippus Melanchthon, uterqve magnum Germaniae ornamentum, ille etiam ex Melanchthonis nostri, communis Germaniae praeceptoris, schola profectus, et de vita eius peculiari libro, lectu sane utilissimo, commentatus. Ad qvem spectat laudatio Dav. Chytraei* in Vita Vlrici Sitzingeri: *Camerario suffiuit, a P. Pithoeo, summo inter Gallos viro, in magnis esse numeratum,* in praefatione Paulo

Aqvilegiensi praemissa ad Basilium Amerbachium. *Eandem ex [illegible] gloriam aetate sua Austriae intulit Maximilianus I. studiosissimus Saxonici nominis, et Friderici belli [illegible] praeterito, atqve Friderici sapientis praesenti exemplo excitatus. Nam in utraqve domo iam diu laudabile institutum viguit, ut parem in republica cultum optarent, et acciperent mutuo ac traderent sibi exempla, et certamine qvodam laudis ad se transferrent, qvod usqvam esset optimum publiceqve profuturum.*

Materna prosapia est Austriaca] *Cum familia haec sit antiqvissima, tum divino consilio contigit, ut potentia eius toti Europae nota et testata sit, qvippe qvod huius maiorem partem imperio complectitur, et omnium aetatum seculorumqve decus in terris maximum, ac venerabile apud barbaros virtute augusta tuetur. Id vero alias constat, qvod tanta eius gentis amplitudo atqve incrementa fuerint, ut maxima ex parte Europae Principes cognatione contingat, necessitudiniqve suae iam inde antiqvitus innexos habeat. Initium erectae amplificataeqve dignitatis fuit in* Rudolfo Habsburgio, *qvi Germaniam diuturno interregno afflictam penitus atqve conturbatam in veterem statum vindicavit. Cuius Filius Albertus I. ope Marchionum Misniae Adolfum Nassovium hostem atqve aemulum debellavit,* ac interceptum genti suae Romanorum imperium recuperavit. Illiusqve abnepos Albertus II. dignitatem augustam, qvae ab excessu Alberti I. a domo Austria diu abfuit, perpetua descendentium serie usqve ad haec tempora conservatam Austriae denuo intulit, a Friderico placido adiutus pariter ac insitata fortitudine defensus. Fridericus III. Ernesti ferrei filius, caput fortunae augustae salutisqve prope omnem debet Ernesto, atqve Alberto septemviro et Saxoniae Ducibus, suis ex sorore nepotibus. Maximilianus I. qvi Germaniam legibus et literis ornavit, primusqve imperii regimen, libertatis Germanicae [illegible], ac tribunal imperii augustum instituit, Fridericum III. Sapientem auctorem sociumqve ardui consilii habuit, et Alberti ductu se ab interitu, atqve imperium a turbis liberavit. Similiter Carolus V. fortis, et omnibus maioribus suis maior imperator, Friderici III. integritatem atqve constantiam est expertus. Nam huius auctoritate suffragii, et erga Austriacos fide observantiaqve Francisci I.* ambitus irritus fuit atqve inanis. Mauritius qvoqve pro Caroli causa arma cepit, et pericula adiit, et belli eius in Germania, qvo [illegible] libertas Germanica passa est, robur firmamentumqve fuit. Ferdinandus I. et Maximilianus II. Caesares erga Protestantes aeqvi*

* V. Praeter scriptores domesticos Chr. Ioan. Garzon. cum qvo conf. Siffr. Presb. an. 1294. seq. Chron. Colmar an. eodem. Alb. Argent. Chr. p. 109.

* Melchior Neofanius in catal. Episc. Halberstad an. 1519. lit. e. cum qvo conf. Sleid. comment. d. an.

qvi moderatiqve, in augusto Septemviro praesidium dignitatis suae firmum atqve stabile collocarunt. * *Apud Rudolfum II. Caesarem aeqve benignum et pium, eximia et singulari gratia floruit uterqve Christianus. In Matthiae obseqvio firme constanterqve perstitit Ioannes Georgius I nil mutatus neqve animo neqve consiliis, praeterea obfirmatus contra factionem, qvam qvidam excitaverant nimia libertate luxuriantes.* * *Ferdinando II. ad cuius perniciem spectabat* Unio, *proprio ac peculiari nomine fidelem operam, belliqve Bohemici sedandi insignem, atqve posteritati memorabilem curam approbavit, ac Caesari in praeceps consilium versorationes servandae pacis sapienter repraesentavit, cumqve honesto et utili eius proposito vehementia qvorundam obstaret, mentem nihilominus veterem, voluntatemqve in Austrios propensam retinuit, ac de integro amicitiam iunxit, bellumqve fervide et infeliciter coeptum pacis pactione mutavit, filiumqve Ferdinandi II. pacifici nomine vocatum suffragio suo ornavit, omni honore coluit, atqve distracto turbis imperio decus atqve auxilium comparavit. Leopoldo, uni omnium retro Caesarum ex Ferdinandi propagine maximo potentissimoqve, saepe testatus est promptitudinem animi, et divisa intestinis motibus Germania constantiam servavit, et contra vim dominatumqve externum opportunum auxilium tulit. Qvas laudes, qvibus gloriam nominis sui cumularunt Duces Saxoniae atqve Electores, iidemqve Marchiones, sua stirpe et Domus augustae necessitudine incluti, in Austriis Saxonicisqve monumentis copiose traditas passim licet reperire. Nunc reliqvum est, uti moneamus, origines Austrias, qvae nostris Principibus splendorem qvoqve connubiis auxerunt, esse repetendas ex* Chronico Murensi, anno 1618 in lucem emisso, Chronico Constantiensi, qvod recensuit Ioannes Pistorius, Francisco Gvillimanno, praestantissimo rerum Austriarum scriptore, qvo nemo doctius fabulas de ea gente in vulgus editas refellit, Ponto Heutero, viro itidem gravi et in rebus Austriis perqvam versato, Iacobi Mennelii peculiari libello de maiorum Divi Maximiliani II. monumentis, anno MDXCIII. evulgato: Ioanne Stumpfio, Gerhardo de Roo, Hieron. Megisero, qvi Hunibaldi commenta, qvae secutus est Abbas Trittenhemius, dudum repudiarunt, fontesqve certioris historiae, qvam Albertus Argentinensis et Ioannes Nauclerus, qvos imitantur fere Itali scriptores, aperuerunt. *Qvi annales condunt, alias inqvirunt, utrum Rudolfus Habsburgius, primus huius familiae Caesar, initia generis ducat a Carolingis.*

* V. Thomas Carbaeus ep. rer. Germ. an. 1617. Carolus Caraffa in Germ. sacra restaurat. p. 53 54.

Qvod de materia, de qva dumtaxat qvaestio est, propagine liqvidum, et diu probatum est ex monumentis maxime dubiis, inter qvae praecipuam auctoritatem habent membranae Trudpertinae, *qvarum fidem nemo nisi temere convellit ac lubet.* *Ceterum hoc alibi, qvum considerandae genealogiae Franciae Davidis Blondelli ocasio dabitur, expendam.* *Interim nunc vid.* Ioann. Iac. Chiffletius vindic. Hisp. cap. 4. et lib. Franc. p. 99. Gabr. Bucelin. part. alt. Germ. topogr. in histor. Agilolf. *Ceterum Rudolfi Habsburgii imago conspicitur in Chron. Basileensi* Christiani Vrstisii, an. 1273. *Cineres atqve ossa Spirae Nemetum in templo Saliorum imp. tumulis sancto condita sunt,* Hier. Megiser. in Diar. Aust p 72. *De loco sepulturae tacet Iacobus Menlius in monumentis Austr. p. 32 forte qvia in Austria non reperit, qvem in tumulis imperialibus Spirae reperire potuisset. Conf. Michael Eyzinger in Thesauro Princip. pag. 46. Hardevvig a Dassel. in imperat. descript. in Rudolf. Habsburg.*

A Conrado Kauffungo.] *Qvid causae fuerit, cur Kauffungus nobilitatem generis, qvam recte agendo amplificare poterat, crimine plagiarii foedaverit, Aeneas Sylvius, cuius eruditione atqve ingenii monumentis illa tempora illustrata sunt, praeclare commemoravit, gaudeoqve merito, talem tunc extitisse virum, qvi non magis Bohemiae, qvam vicinae Misniae res actaqve literis mandaverit, et ingenii bonitate usuqve plus consecutus fuerit, qvam alii, praesertim aevo ipsius, arte curaqve conseqvi potuerunt.* Cunradus Kaufung, *inqvit,* nobili loco apud Saxones natus, bellicae rei peritus, manu promptus, et animo imperterritus, cum, se patria pulsum, et paterna haereditate privatum per iniuriam Friderici Saxoniae Ducis (*Septemviri II. huius nominis, qvi placidi elogio celebratur*) existimaret, scelus incredibile nostra aetate perpetravit; etc. *Vnde perspicitur, qvid mali pariat vindictae cupiditas, qvae cum privatim iniusta sit, tum publice improba nefariaqve habetur, qvippe tanto peior, et plus nocitura; qvanto maior sanctiorqve est, erga qvem exercetur. Vigebat aetate animoqve Kauffungus nec gloria generis carebat.* Sed *irae erat implacabilis, et audax ad omne facinus, ac ingenio plane militari, ut saepe magis impetu, qvam ratione uteretur. Itaqve iniuriam accepisse ratus, praesidium in ultione ponit, pietatisqve erga patriam oblitus, consilium init auferendi duos Saxoniae Principes, Ernestum atqve Albertum, in qvibus tota tunc familia* Saxonica *innitebatur. Rem astu aggreditur,*

socios-

sociosqve sceleris adhibet, et captos, patre absente, abducit, ut, qvod uni sibi acciderat, in omnes vindicaret, unde non privatae domus, sed familiae principalis reiqve publicae conversio oriri, Saxoniaqve praesidus, et Germania summis ornamentis spoliari potuisset. Verum non multa perfidia fuit, et raptor mox suo malo didicit, consilia adverso Numine suscepta fallere suos auctores. Haud dubie argumento providentiae coelestis, qvae Principes servare voluit, ut omnes intelligerent, eam stirpem non extingvi debuisse, de qva Deus constitutum habuisset, ut posteris lumen ferret, et sacra et leges atqve literas optimas instauraret. Qvanqvam et ratio suppetit, cur miremur malignum praefractumqve Kauffungi animum, qvem ulciscendi pertinacia sane in dementiam vertit, qvod non consideraret cum eo Principe rem sibi esse, qvi iniuriam qvae non ad unius perniciem, sed ad omnium illustrium familiarum, et propinqvae Austriorum Domus contemptum pertinebat, ubiqve perseqvi vellet possetqve. Nam si raptor etiam per montes Bohemicos elapsus fuisset, amplum iter in ulteriores terras profecturo adhuc restabat, et si in has qvoqve delatus fuisset, e manu Principis raptorem dedi volentis effugere non potuisset. Nam et barbari reges regum principumqve causa scelus detestantur ac vindicant. Qvapropter omnem rationis sensum ipsi malitia eripuit, ut non, qvid ex ea improbissima ultione futurum esset, sed duntaxat qvomodo ulcisceretur, audacia furens, cogitaret. Nec alioqvi insolens in Domo Saxonica fuit, qvod aliqvos tanqvam in sinu suo angves aluit, qvi summa impietate vitae honoriqve Principum insidiati sunt, qvod Mauritio apud Sivershusam fortissime pugnanti accidit, atqve Augusto eius fratri cognitum est, qvando Gvilielmus Grumbachius, profligatus perditusqve homo, contra ipsius caput salutemqve coniuraverat. Sed redimus ad infame Kauffungi plagium, qvod non modo Boiemus noster, licet paulo diversis ab Aenea Sylvio circumstantiis, sed etiam Georgius Fabricius in annal. urbis Misniae an. 1455. orig. Saxon. lib 7. p 770. seq. Petrus Albinus Chron. Misn. tit. 21. Laurent. Peccenstein theatr. Sax. part. 1. cap. 11. Peucerus, Camerarius, Bucholcerus, Albizius, aliiqve enarrarunt.

Iure haereditario adibant] *Huius divisionis freqvens atqve assidua recordatio esse debet, cum qvod in domo Saxonica solennis fuit, tum qvod multis litibus postea ansam praebuit. Nam accepta ob comitatum Lesnicanum repulsa, ac diffidia, qvae propter VVurzenam et cum primis*

Episco-

Episcopatum Naumburgensem anno M D XLII. inter Ioannem Fridericum ac Mauritium coeperunt, eiusque talia fuerunt, ut partim ex ea dissensione oriri viderentur, partim bello in Saxoniae visceribus orto occasionem materiamque darent. Quod plane apparuit, quum Mauritius nulla persuasione adduci posset, ut Patris Henrici exemplum imitaretur, foederique Smalcaldico se adiungeret: non quod, foederis ius esse sibi Protestantibusque Principibus, nesciret, sed quia tale foedus ipsius rebus non expediebat, siquidem iudicabat, eo non posse se tueri commodum dignitatemque apud Carolum V. imperatorem, fratrem ipsius Bohemiae regem, a quibus Ratisbonae et Pragae, facta etiam religionis retinendae cautione, multis atque gravibus rationibus inductus fuerat ad partes contra patruelem eligendas. Fuit enim hoc foedus Carolo V. maxime invisum, * cum propter Ioannem El. qui eius ineundi auctor fuerat, tum propter Ioannem Fridericum successorem, qui illius renovandi continuandique curam atque munus gesserat, eoque heres factus erat paternae offensae, quae tanta fuit, ut Ioannes, quoad vixit, non posset a Carolo V. impetrare electoratus insignia,* ** *essetque haec significatio amittendae eius dignitatis, et sive id obtentui sumptum, ut censet Thuanus, sive verus metus fuit, a domo Saxonica alienandae, nisi Mauritius in Imperatoris partes iret, latamque in Ioannem Fridericum proscriptionem executioni daret.* *Vid.* acta Bohemica, in qva capita atqve fontes huius historiae sunt, et unde rivos suos deduxit Ioannes Sleidanus, qvi accurate diligenterqve haec commemoravit, post qvem Frid. Hortlederus in eruendis his longe utilissimam operam posuit, atqve huius belli initia causasqve ex veris atqve incorruptis monumentis desumpsit. *Etsi autem, habita prudentiae humanae rerumqve Saxonicarum ratione, Carolus V. sine Mauritio nunqvam id bellum ad optatum speratumqve exitum perducturus fuisset, tamen ab eo tempore, qvo a Ioanne Friderico offensus, se causamqve a Smalcaldicis disiunxit, haud du-*

* *Hinc locum ubi [illegible], victo Ioanne Friderico, excindere decretum fuit, nisi Mauritius intercessisset. Vid. VVolffg. Moller in vita Georgii Ernesti Principis Henneberg. Cyr. Spangenberg. Chron. Henneberg. lib. 5 cap. 53. Huc pertinent querelae atque exprobationes Granvellani apud Leodium in vita Friderici II. lib. 7. p. 139.*

** *Vid. resp. Protestantium ad proscriptionem Caroli V. an. 1546. Sleid. ad an. eundem Peccenstein in [illegible] pro[illegible] in Ioanne F. Is enim non modo [illegible] Smalcaldico, sed etiam contradictione publica [illegible] foederatorum Smalcaldicorum facta, reiectaque Ferdinandi I. regis Rom. electione, Carolo V. Ferdinandoque maxime se exosum fecit. V. Sleid. comm. l. 7.*

dubium commutationis omen * *dedit, factumqve est postea eo dissidio, ut agnati bello committerentur, resqve Smalcaldicorum in deterius vergerent, ac tandem prorsus laberentur. Cuius dissensionis, qvae illo qvidem tempore Saxoniam perturbavit, initium hoc fuisse refert Ioannes Sleidanus, scriptor fide atqve Industria eximius,* comment. lib. 14. Lis, *inqvit,* erat de finibus, et oppido qvodam (*VVurzenam nominare debuit)* et Pflugii *(praenomine Iulii, viri prudentis et docti, at ritus Pontificii tenacis)* caussam non obscure probabat etiam Mauritius, ** commendantibus eum propinqvis *(diu enim gens Pflugia in Domo Saxonica gratia meritisqve floruit, praecipue apud Georgium et Henricum fratres, ac clientelis necessitudineqve tunc maxime valida inter Misnae familias fuit) Haud multo post haec subiungit.* Initium fuit hoc offensionis inter ipsos, qvae post aucta tempore, gravissimum Germaniae vulnus inflixit. *Vid. comment. lib. 17. et 18. Id enim vanum futileqve est, qvod de contentione inter utrosqve ex aleae lusu orta vulgo memoratur: ut mirum videri debeat, cur Georgius Hornius hoc commentum insectatione dignum repetere nuper, et veris inter utrosqve Principes excitati dissidii caussis annumerare voluerit,* Orb. Imp. IV. period. can. VII. *Qvod summo viro, Iacobo Augusto Thuano, licet extero, et saepe etiam alias in rebus nostris hallucinato, perspectum nihilominus exploratumqve fuit: tametsi nescio qva de causa, et*

R *forte*

* *Tale quid iam diu ante praesagiverat. Fridericus III. sapiens El. qui simul ac cum fratre Ioanne aliquando e navigiolo apud VVittebergam exiverat, illud statim ruptum confractumque vidit, quod in omen Saxonicae domus bello distrahendae accepit, dicens: profecto metuo post nos nostrae navis, id est, domus Saxonicae, dilacerationem. Philippus in loc. Manl. et Gasp. Peucerus de divinat. pag. 44 45. cui dicto fidem fecit eventus, coepto bello Smalcaldico, spectat que huc omen Ioannis Constantis apud Peccensteinium, quod a ferus se fugentibus cepit. Proinde recte scripsit Boiemus, nil perinde Saxoniae nocuisse, ac intestina dissidia, quibus submotis sane felix invictaque fuit.*

** *Hoc dextre est interpretandum, et ea quidem ratione, ut intelligatur, non esse quaestionem de iure territorii in Episcopum Naumburgensem, iam olim Domui Saxonicae in eum tanquam Praesulem provincialem conveniente, quod certe Mauritius in dubium vocare noluit, ne iura Saxonicae domus, in cuius patrimonio ditioneque iste Episcopatus est, imminueret, sed de eo duntaxat` controversia erat, an ad eius Episcopatus, potestate territorii Saxonici indubie semper comprehensi, administrationem habilis aptusque esse posset Pflugius, cuius sane favor apud imperatorem ex causa religionis, apud Mauritium ob propensum animum erga familiam suae ditionis, de patre ac de se bene meritam, atque adeo ex ratione civili fuit, unde simul a Carolo et Mauritio, victo socialibus armis Ioanne Friderico, Iulius Pflugius est restitutus. Mauritii laudatio singularis est apud Io. Caselium in oratione funebri Christophoro Duci Megapolitano scripta.*

forte per incuriam Io. Sleidano eius fabulae originem acceptam refert, hist. lib. 2. *De cetero statuendum est, Mauritium maxime a Consiliariis, qvos ex aula Georgii retinuit, esse excitatum, ut pro causa Caesaris bellum patrueli faceret, qvem non modo ipsi odio habebant, verum etiam sciebant, multis modis Imperatori esse exosum. Qvod peculiari epistola qvestus est anno * ante, qvam fatali praelio Ioannes Fridericus apud Mulbergam castris exueretur, atqve ita foedus Smalcaldicum, qvo nullum Caesari invisius, nullum formidabilius fuit, finiretur. Vtcunqve autem haec gesta sunt, tamen eius divisionis, unde duae propagines extiterunt, qvarum una* Albertina, *altera* Ernestina *dicitur, memoria omnibus seculis conservari debet, et optari, ut restituta per Mauritium pace, firmataqve per Augustum concordia, una inter propinqvos animorum voluntatumqve consensio sit, et paribus consiliis vires atqve nomen Saxonicum augeatur.*

* *MDXLVI. Sleidan. ubi summam epistolae ad Mauritianos ordines dimissae refert.*

Libertatis signum, a Rolando nominata.] *Fabulae de Rolando fictae initium dedit Turpini auctoritas, qvam falsam esse, dudum intellexerunt docti, qvi ad vetera monumenta studium diligentiamqve adhibuerunt. Non tamen defuerunt, qvi commentum votis atqve plausu exciperent, qvo numero sunt Erpoldus Lindenbrogius, vir alioqvi solers et eruditus, in Chron. Carol. M. nec meritis diligentiaqve minor Reinerus Reineccius in originibus Francorum poetae Saxonico anonymo praemissis, Ernestus Brotuffius in Chron. Merseburg. lib. 1. cap. 21. VVilh. Dilichius in Chron. Bremens. Cyr. Spangenberg in Chron. Saxon. Abrah. Bucholzerus in Ind. Chronol: Dan. Pareus hist. medull. p. 596. Geogius Sabinus de Caesar. Germ. lib. 1. Chronicon Cario-Peucerianum lib. 4. Gyrald. in hist. Franc. Sabellicus, novissime Bucelinus Monachus VVeingartensis. A qvibus discessere Io. Gryphiander opere eruditissimo de VVeichbildis, Melch. Goldastus, eum Ducem auctorem secutus, cum de privilegiis civitatis Magdeburg. commentaretur, qvae sententia cum veritate congruit, et sponte seqvitur ex firmis historiae argumentis, ac iudicio actorum Carolino Saxonicorum, atqve ratione ad fidem Francicorum annalium, priscorumqve monumentorum conformata, et recte diligenterqve examinata sustinetur. Figmentum de statura eius in vulgus sparsum confutavit Hubertus Thomas Leodius de vita Friderici II. Palatini, qvippe sepulchro eius, qvod mentiendi licentia tam celebre fecerat, praesens ac fide dignus αὐτόπτης. Id vero alias perspectum est atqve cognitum,* Rudlandi *praefecti apud fines Britannicos meminisse inter scriptores Carolingicos,* Eginhartum cap. 9. de vita Carol. M. *Sed is longe diversus a Rolando Pseudo-Turpini est, nec palatii Comes,*

sed

sed littoris Britannici praefectus fuit, neqve contra Saxones, qvod de fabuloso Rolando traditur, sed contra Vascones, oppetita etiam morte, fortitudinem suam illustravit, neqve a peringenti aut immani mole, qvalis gigantum est, celebratur: etsi omnino censeo, Pseudoturpinum a Rulando illo vero sumpsisse occasionem fabulandi, et decepisse viros meritis in historiam Germanicam eximios. Haud recte etiam Ioannes Stumpfius eum nominavit Comitem, et peringentis staturae: Chron. Helvet. lib. 3. cap. 86. *ineptit certe* Adelarius Erichius in chron. Iuliacensi pag. 188. *qvi comminiscitur gigantem, qvem Saxones, Slaviqve non secus ac malum genium timuerint, sane Rolandum, ut apparet, indicans. Qvanto rectius Goldastus hoc expendit, qvum Rolandi nomen, unde statuae Rolandinae appellationem sortitae sunt, non personae, sed rei denotandae impositum esse tradit, eo qvidem instituto, ut esset indicium dicundi iuris, ac publicum et fixum statumqve signum liberi iudicii imperatorii. Atqve his statuis vetustas magnam post conciliavit dignitatem, usqve eo, ut multi hinc petant argumentum libertatis imperialis Vrbium Germanicarum, nec tempora, nec libertatem distinguentes, et qvod inde seqvitur, plurimas qvoqve municipales Vrbes loco numeroqve imperialium perabsurde habentes.*

Alberti degeneris iniuria.] *Inde notum redditur atqve manifestum, fuisse Albertum impotenti animo, moresqve ab adolescentia egregios atqve optimos vertisse in perniciem suae stirpis, et summam arctissimamqve necessitudinem, ac iura sangvinis studio externi nominis et coeca praecipitiqve cupiditati posthabuisse, atqve ex ea causa cognomen* degeneris *traxisse. Is fuit Henrici illustris filius Friderici II. Imp. Hohenstauffii gener, stirpe indoleqve inclutus, nisi qvod malo post exemplo mutatus,* Thuringiae Landgraviatum *ratione cognationis a patre acqvisitum, et iure belli, transactionis atqve Caesareae concessionis firmatum, a familia primi acqvirentis atqve sangvine suo, cui iure nascendi statim atqve ea lege debebantur, ut Alberti iudicio voluntateqve auferri non posset, abalienare voluit, eoqve consilio Caesari Adolpho alienigenae vendidit, Misniaeqve invadendae aditum communivit. V. Siffr. Presbyter anno 1275. 1294. Chronicon Colmariense an. 1291. 1295. Albertus Argentinensis pag. 109. Levoldus a Northof. in Chron. Marcano an. 1193. sigillatim Ioannes Garzo Bononiensis de factis Friderici et Dizmanni, qvem in Germanicum convertit Ernestus Brotufius, Paulus Langius in Chron. Citizens. an. 1294. Erphesfordensis cap. 71. 73. 78. Georg. Fabricius Or. Sax. lib. 6. qvi cum Garzonis Itali narrationes ad vivum exigit, tum observat, in pleriqve esse emendandum,*

 prae-

praesertim in gentili Apollonii nomine, qvod historia Misnica ignorat. Laur. Peccenstein th. Sax. part. 1. cap. 2. Ioannes Bangius et Ioannes Binhardus Chron. Thur. an. 1289. David Chytraeus Saxon. lib. 6. p. 168. Caeso post Nassovio, nibilo melior fuit Albertus Austrius Caesar, neqve pro eo, ac debebat, gratiam Marchionibus retulit, qvippe non Thuringiae modo, sed etiam Misnicis fodinis insidiatus, peiora, ut videbatur, ausurus, nisi a Ioanne patrueli interemptus fuisset. Erphesfordensis hist. Landgr. Thur. cap. 83. De Alberti Caesaris caede vid. Albertus Argentinensis Chron. an. 1308. Chron. Basileense Vrstisii lib. 3. cap. 5. inde sane scriptores Helvetii initium capiunt pulsae Nobilitatis Helveticae, qvae gravissimas poenas Alberti Austrii filiis, paternam necem a paucis patratam in omnes vindicantibus pependit, maior pars solum mutavit, multi arcibus privati, in exilium iverunt, alii vita factoqve innocentes in terras proximas delati, familias dudum conditas, imaginibusqve decoras instaurarunt, ac ad veterem stirpis suae gloriam virtute atqve meritis maximis ingentem cumulum addiderunt, qvorum posteri hodieqve Serenissimi Saxoniae Electoris consilia labore, curis atqve vigiliis moderantur, atqve hoc agunt, hoc nituntur indies, ut literae atqve leges floreant, et mercedem qvisqve ac fructum honesti studii capiamus, de qvibus alias dicetur latius, cum de familia atqve genere incluto Dynastarum Misniae, ac nominatim de originibus illustrissimorum Baronum FRISIORVM commentabor. Interim Helveticarum familiarum fata ac vicissitudines videas apud Albertum Argentinensem Chron. an. 1308. Iosiam Simlerum in praefat. de republica Helvetior. Io. Bapt. Plantinum de Helvet. antiq. et nov. p. 194. *Constat enim ex Francisco Gvillimanno, accurati iudicii et multae diligentiae historico, ante hanc conversionem et illustrium familiarum apud Helvetios numerum amplissimum, et auctoritatem primariam, et bona atqve facultates luculentas fuisse. Nominat enim Comites Baronesqve coniunctim plures, qvam ducentos, qvi a maioribus deductam atqve traditam illustrem nascendi dignitatem memorabili ista Helveticarum familiarum conversione in alias Germaniae regiones proximasqve oras intulerunt, splendoremqve inclutae stirpis postliminio ab augustissimo Ferdinando receperunt, a cuius maioribus ad migrandi necessitatem redacti, hoc virtute atqve consiliis bene sapienterqve datis consecuti sunt, ut ab eius successoribus maxima atqve illustria voluntatis studiiqve testimonia, et cumulatissima ornamenta acciperent, ac benignissime haberentur.*

Carolus Burgundus regem Galliae Belgicae et Burgundicae inaugurari

rari se volebat.] *Vera haec sunt, atqve unum hunc ex omni Ducum Burgundiae numero opibus ac potentia maximum declarant, non modo quod regis Burgundici titulum affectasset, sed qvia potentissimis Europae regibus, et ipsi etiam imperatori maxime esset formidabilis. Princeps ingenita virtute magnus, sed ferociori animo praeditus, et* audax pugnaxqve *nominatus. Neqve id perperam a Boiemo est traditum, qvod una regis Galliae Belgicae titulum cupiisset optassetqve sibi dari, qvandoqvidem certis indiciis testatum fecit, qvod studeret Galliam Belgicam rursus cum Burgundia coniungere, regnumqve Arelatense de integro stabilire, qvod Gallis, qvi non qvidem ius, sed possessionem duntaxat regni Arelatensis regno Germaniae interversam ad se transtulerunt, tantum metum incussit, ut Ludovicus XI. a nemine magis, atqve a Carolo pugnace sibi timeret. V. Iacobus Meyerus, scriptor annalium Flandricorum eruditus ac diligens* lib. 17. pag. 412. *cum qvo conf. Philippus Cominaeus, testis non modo auritus, sed oculatus rerum inter Ludovicum Carolumqve ducem actarum, et vir iudicii prudentiaeqve exqvisitae, nisi qvod transfuga, et propter mores ingeniumqve Caroli penitus explorata, prope proditor sui Principis factus est. Emmanuel Metteranus testatur, Carolum tam vasto fuisse animo, ut Alexandrum Carolumqve magnos aeqvare optaverit,* lib. 1. hist. Belg. *Constatqve alias, eum inusitato apud Belgas exemplo ius creandorum Comitum anno MCCCCLXXIII. usurpasse, et Brugis Ioannem Coium Comitis Hannoniae honore auxisse.* Aub. Miraeus Not. Eccl. Belg. p. 706. *Qvae fama ad exteros dimanavit, et tantam illi auctoritatem conciliavit, ut ab Hermolao Barbaro Venetorum legato, et Iasone Mayno iureconsulto atqve oratore Mediolanensi rex Belgarum appellaretur. Estqve mihi cognitum, iam ante Carolum in spem regiae dignitatis conseqvendae venisse Philippum bonum eius Patrem, cuius rei extat testimonium atqve exemplum apud Aeneam Sylvium, scriptorem eorum temporum iudicio industriaqve gravem, qvi ad Philippum perscripsit, hanc esse sibi ab imperatore datam animi significationem, qvod cuperet, regni insignia vicariatusqve Galliae Belgicae titulum atqve munus conferre,* epist. 395. *Sed multum abest, qvo minus credam, serio id cogitasse Fridericum imperatorem, ut qvi nollet hunc ducem nimis crescere, ac qvid ex eo futurum esset, accuratius in animo reputaret. Communis enim tunc imperatori cum rege Galliae erga nimia Burgundi incrementa metus erat: qvanqvam rebus Germanicis valde utile futurum fuisset, si citra periculum imperii tale qvid fieri, Gallisqve duntaxat iam potens vicinusqve aemulus opponi potuisset.*

fuisset. Verum qvia tam ingentem Burgundi potentiam neqve sibi, neqve imperio conducere existimabat, totum hoc negotium irritum infectumqve mansit. Permagna enim tunc de Philippo bono erat opinio, atqve tanta eius nominis passim auctoritas, ut inter felicissimos ditissimosqve illius aevi Principes numeraretur. Aeneas Sylvius, post commutato nomine Pius II. commentarior lib. 3 p. 69. *Praeterea tanta cura diligentiaqve res suas principatumqve muniebat, ut unus qvoqve ille regi Galliae formidandus esset,* Iac. Meyer annal. Flandr lib. 16. *Haec et talia Burgundiae Ducum praeconia tanti aestimavit Ioh. Iac. Chiffletius, ut Ducatum eum omnibus Europae Ducatibus anteferret, et pari cum regibus iure habendum esse censeret,* Vind. Hisp. cap. 14. *Vt exinde etiam intelligatur, ex qvo fonte manaverit Caroli V. Imperatoris consilium, qvo destinabat Burgundicas provincias redigere in regni Burgundici titulum, qvod cur non successerit, haud potest esse iis obscurum, qvi cognitam habent dissimilitudinem morum institutorumqve, qvae in singulis provinciis valebant, atqve tanti momenti erant, ut Caroli propositum, firmandae Hispanicae monarchiae utilissimum, si aeqve promptum effectu, ac citra periculum turbarum fuisset, omnino impedirent.* Fam. Strada bell. Belg. dec 1. pag 19. 20. *Cuius rei cum oblivisceretur Philippus II. et passim instituta legesqve cum qvibus respublica illa qvasi nata erat, abrogari cuperet, et inviso crudeliqve Ducis Albani regimine unum in omnes ibi dominatum moliretur, motibus Belgicis occasionem praebuit, annoqve MDLXXXI. insigniori provinciarum parte excidit, de qvo argumento alias a me traditum est in notis ad epistolam nomine Belgii ordinum ad Philippum II. perscriptam, superiori anno editis. Cum vero ad Carolum pugnacem revertimur, tum merito eius vicem dolemus, qvod non perinde ac pater Philippus bonus se gereret, neqve magnanimitatem cum prudentia atqve moderatione coniungeret, oblitus, cum qvo rege sibi res esset, qvem Cominaei iudicio constat non uni regno, sed paene terrarum orbi regendo fuisse suffecturum. Caroli vitam literis mandavit Adrianus Barlandus non ignotus apud Belgas scriptor,* in Chronico Brabant. Ducum p. 22 ac historia Comitum Holland. et Zeland. p. 297. cum qvo legantur Philippus Cominaeus lib. 7. de reb. Lud. XI. Iacobus Meyerus annal. Flandr. libr. 17. Io. Isac. Pontanus hist. Gelr. lib 9. Iacobus Marchantius non incelebris, neqve in ultimis habendus rerum Flandricarum scriptor, de reb. Flandr. memorabil p. 28. Aegidius de Roya annal. Belg. an. 1278 Pont. Heuterus rer. Belg. l b 1. *Fuit illi causa exitii nimia ferocia, et contemptus salutarium moni-*

monitorum, qvod non audiret, qvi ipsum a Campibachio Italo, perfidissimo homine, dehortabantur, ut merito prudens rerum earum aestimator cogitet, a Deo in eum, ob non servatam Connestablio fidem, poenam esse constitutam, qvod affirmat Cominaeus, nec, qvi eum alias pungit, dissimulare potuit Iac. Meyerus, Carolum favore divini Numinis, qvod improbe dedendo Connestablium offenderat, destitutum fuisse. Atqve hoc indicio omnibus regibus principibusqve esse possit, iustitia et fide regna firmari, contra fraudibus pactorumqve violatione labefactari penitus atqve subverti. Itaqve caeso anno MCCCLXXVI. apud Nanceium Carolo, pristina Burgundiae, maioriqve parte Europae, qvae ab ea sive robur, sive certam perniciem expectat, facies multum est conversa atqve commutata: nascentibus qvotidie bellorum causis, gliscentibus aemulationibus, qvarum materia etiamnum inter Austrios Gallosqve superest, ut proximum bellum Gallo-Batavum testatur, in cuius partem venere Austrii, qvia in eo totius Europae libertas Hispaniciqve Belgii securitas vertebatur, de cuius initiis causisqve in historia bellorum novissimorum cap. 3. a me est commemoratum.

Dresdaqve discessit.] *Huius longinqvi itineris brevem et compendiariam narrationem complexus est* Cyriacus Spangenberg lib. 5. Chron. Hennebergici cap. 36. an. 1476. add. Georg. Fabricius or. Sax. lib. 7. an. 1476. *Id prisci imitatione moris et multorum retro Ducum Saxoniae exemplo, Albertus alioqvi rituum, qvos a maioribus acceperat, tenax, Pontificiisqve placitis, ut tunc seculum erat, assvetus, animi religione solvendi causa suscepit. Qvale pari instituto confecit anno MDXLII.* Iodocus a Meggen, *illustri apud Helvetios familia ortus, prelo Ioannis Mayer anno MDLXXX. Dilingae excusum, et meo qvidem iudicio dignum, qvod cum peregrinatione sacra Alberti nostri contendamus. Ceterum prima religiosa e Saxonia profectio, qvam ego qvidem sciam, instituta est seculo XII. qvam monumentis ad posteritatis memoriam commendavit* Arnoldus Lubecensis Helmodi continuator, Chron. Slavor. l. 3. cap. 7. ex eoqve, ut solet, Albertus Cranzius Saxon. lib. 6. cap. 29. *Cum vero sui qvisqve religione voti se obstringeret, tum ea qvae itineris causa nuncupari solebant, inprimis ad Palaestinam, superstitiosi more seculi, pertinebant. Si vero graves causae obstabant atqve impediebant, qvo minus peregrinatio in Palaestinam susciperetur, veneratione sedis pontificiae perfectum hoc pietatis negotium censebatur. Vnde nata est formula* voti pro adeundis liminibus sanctorum Apostolorum. *Cuiusmodi fuit Popponis Comitis, cum prohibitus esset adire Palaestinam, apud* Cyr. Spangenberg,

berg. Chron. Henneb. l. 2. cap. 16. *atqve Ernesti Septemviri, de qvo vid.* Georg. Fabricius orig. Sax. lib. 7. p. 786. *Qvanqvam autem multae inde molestiae difficultatesqve proficiscentibus oriebantur, tamen existimabant, hoc officium Deo Ecclesiaeqve Romanae deberi, qvod a Friderici III. Sapientis excessu finem habuit, siqvidem is inter Duces Electoresqve Saxoniae ultimus fuit, qvi Pontificis causa Romam iret, et voti religione obligatus Palaestinam inviseret, ac apud sepulchrum Christi officium pietatis faceret, et prout tunc consvetudo erat, testaretur, nomen atqve dignitatem sanctae eius regionis, ubi primo salutares doctrinae atqve veritas orbi illuxissent, cordi esse sibi. Vid.* Fabr. orig. Sax. lib. 8. *Ea peregrinatio incidit in annum MCCCCXCIII. viginti post annis, qvam Albertus animosus ex eadem causa eo se contulit, instituta. Cuius monumenta itineris hodieqve in oppido visuntur, picturisqve et imaginibus partim expressa, partim ex longinqvis locis eo asportata, de qvibus legi expediat* Balthasaris Mencii syntagma epitaphiorum VVittebergae lib. 1. p. 14. 24. 49. seq. *Redux enim Fridericus templum arcis recens ab se conditum magnifice ornavit, et qvanto apparatu potuit, dona atqve munera in illud intulit, sanctorumqve reliqviis iuxta usitatum illorum temporum morem auxit, atqve excitato post literarum atqve eruditionis domicilio, nomen sapientis accessione tituli decoratum, sempiternae hominum memoriae commendavit.* Spectatqve huc, *ut de modo et ritu creandi milites sepulchri Christi dicamus, sed qvia id late executus est Iodocus a Meggen cap. 12. peregrinationis Hierosolymitanae, nunc supersedebimus hoc labore, et cum dabitur, repetemus. Tantum hic ad gloriam praedicti itineris sacri pertinet, qvod* Albertus in Palaestina eqvites auratos creavit, *loco qvam a Saxonia, unde profectus erat, disiuncto, tam ad memoriam institutae eius peregrinationis illustri atqve sancto. Qvod singulare est, atqve recordationis causa factum intelligitur, gnaro moris ritusqve Principe, qvod qvi eo proficisci solerent, iter cuperent esse sibi honorificum, atqve huius accessione ornamenti fructuosum. Fuitqve haec causa, cur multi a* Gvardiano sepulchri Christi, titulo militum sepulchri Christi *ornari voluerint, putaverintqve, hoc et sibi esse honori, et testimonium peregrinationis luculentissimum fore. Sed qvibus eo rationibus adductus fuerit Albertus, infra exposuit Boiemus. Non eo sane instituto, ut ius creandi auratos eqvites sibi temere arrogaret, sed ut per se ipse efficeret, qvod in eo loco constitutus, efficere aliter non poterat, et cum ita ferret consvetudo, ut illuc profecti a* Gvardino *ornarentur, ipse hoc munus per se Princeps obiret,*

et suae voluntatis in socios itineris significationem daret, Gvardianoqve auctoritatem cum gravitate coniunctam luculenter demonstraret.

Belgica duo bella gesſit.] *Alberti magnitudo animi, et merita in Domum Austriam, tot et tanta, et tam eximia fuerunt, ut non exteris modo, sed etiam hostibus celebrandi occasionem dederint. Fridericus III. imp. eum magna laude dignitateqve ornavit, et suae domus atqve imperii fulcimentum, qvin imo* patrem ſuorum et cuſtodem ſalutis publicae, *appellavit. Eius filius Maximilianus I. eo duce atqve auctore gloriam pariter ac salutem suam vindicavit, fassusqve est, ei deberi, qvod pater Viennam, ipse vitam retinuisset. Innocentius huius nominis IIX. Pontifex, dum cogitaret, qvae pro tuenda imperii dignitate Albertus suscepisset, usuiqve omnibus, et ornamento patriae suae fuisset, eum* dextram imperii manum *nominavit. Similiter viri graves ac laude ingenii florentes censuere. Albertus Cranzius, Paulus Langius, superioris seculi scriptores, cumulum eius laudi addunt, et auctoritatem virtutesqve certatim praedicant. Pontus Heuterus, Vir in tabulariis Belgicis apprime versatus,* Principem omnium ore merito celebratum *vocat, meminitqve apud Belgas tantam eius fuisse admirationem, ut neminem illi fortitudine armorumqve peritia anteferrent, et qvem Saxonem dicerent, eundem animosum denotarent,* rer. Belg. lib. 5. an. 1500. *Ioannes Isacius Pontanus, eruditus rerum Gelricarum scriptor, eadem fide pariqve laude de eo commemoravit,* hiſt. Gelr. lib. 10. an. 1488. *Nicolaus Bellus, qvi res Austrias literis mandavit, non tantum administrationem Belgii, sed etiam tuendi Philippi Archiducis Maximiliani F. munus ipsi creditum commissumqve fuisse* laur. Auſtriac. lib. 13. 59. *Pro certo habeo, id Bellum hausisse ex Adriano Barlando, teste susceptae huius dignitatis,* in Chron. Brabant. cap. 162. *Vbbo Emmius prudentia usuqve rerum, et dignitate meritorum famaqve validum fuisse tradit, usqve eo, ut Maximilianus I. inductus fuerit ei Frisiam tradere, certa successionis lege pactoqve retinendam, cui renunciavit Georgius Saxoniae Dux,* rer. Friſ. hiſt. lib. 37. collat. cum lib. 48. *Vidi tabulas anno MCCCCXCIIX. die XX. Iul. confectas et legi, qvibus Alberti virtus, et in rebus tractandis industria mirifice praedicantur, unde verba qvaedam huc pertinentia ascribam, ut fontes praebeam, unde tantarum laudum rivuli ducti sunt, et posteri, ut sane debent, eius Herois memoriam colant atqve venerentur. Ita autem Maximilianus augustus et sensit de ipso, et scripsit.* Albertum Saxonem cognatum noſtrum praeclare de Parente noſtro Friderico, et nobis ipſis, noſtroqve Filio Philippo Bur-

gundiae Duce, totaqve imo Germania, communi patria, pace belloqve merito, Gubernatorem Frisiae (*utriusqve, id est orientalis atqve occidentalis, ut tradit Pontus Heuterus, rer. Belg. lib. 5. ann. 1498. diploma, qvod fallere non potest, has Frisiae Alberto in potestatem traditae partes enumerat, Ostergoam, VVestergoam, Severvvoldios, ditionem Groninganam, Ditmarsos littorales, VVorstenses, Stellcuvverffios, qvibus finibus non describitur Frisia orientalis, qvae annis ante XLIV. Comitatus titulo a Friderico III. Imp. ornata fuerat*) cum nomine Potestatis (*vero et cum omnibus principis regalibus coniuncto dominio, salvo clientelae erga Caesarem Comitemqve Hollandiae, ut tunc status erat, nexu, qvod cum ex diplomate allegato intelligitur, tum ab Heutero explicatur*) damus. *Cetera diplomata, qvibus sempiterna laudis Alberti testificatio continetur, omitto, qvoniam multa et varia sunt, mihiqve sufficit, indicasse monumenta, ex qvibus cum de eius magnitudine, animi, tum maiestate operum cognosci potest. Fuit ei capax regiae dignitatis* * *ingenium, indolesqve excelsa, atqve robur pace belloq; invictum, et in rebus tractandis agendisqve gravitas atq; diligentia singularis, ardorqve ad gloriam maximus, ac in exeqvendis negotiis celeritas atqve vis inusitata, ut in eo et vivum Herois exemplum intueri, orcumq; felicissimae propaginis Albertinae colere atqve aestimare debeamus. Nam unus ipse a Mathiae Vngariae regi fortissime restitit, et Friderico III. Austriam hereditariasq; regiones asseruit, bello Veneto Vngaricoqve Maximilianum adiuvit, illustratoqve ultra Alpes nomine, atqve Turcis etiam formidato, contra Gallos Belgio inhiantes arma cepit, Belgasq; qvi partes Austrias deseruerant, ad obseqvium redegit, ruinasqve Austriae pariter et Germaniae manu consiliisqve suis fulcivit. Princeps omnino dignus, ut a Michaele Boiemo victuris literarum monumentis illustraretur, atqve a me duntaxat exigua hac accessione laudis ornaretur, ut habeat non iniqva posteritas, qvod perpetuis sermonibus celebret, qvippe ad qvam pertinet, ut suum cuiqve decus rependatur.*

* *De regno Bohemiae ad Albertum delato vid. annales Neustadienses, qvos seqvitur VVolfg. Crans de Or. El. atqve Ducum Saxon in Alberto. Eorum fidem in medio relinqvit Georg. Fabricius, non de facto, sed de sincero Bohemorum erga Albertum animo dubitans, Or. Sax p. 803. Martinus Boregk explicatius testatur, regno Bohemico factionibus distracto, Albertum vere atqve reipsa ab aliqva Ordinum parte regem Bohemiae fuisse electum, Chron. Boh. part 2. P 572. Qvod praeterit VVencesl Hagec. Chr. Bob. Part. 2. an 1471. De filia Georgii Podiebracii Bohemiae regis Alberto in matrimonium collocata, vid. Io. Dubravius hist Bohem. lib. 30. p. 245. Chronicon Saxonicum pag. 467.*

Ad
Illuſtriſſimum LIB. BAR.
HENRICVM A FRISEN
IVNIOREM
DISSERTATIO HISTORICA,
quaedam
CAPITA
Hiſtoriae Saxonicae
continens,
Quibus
COMMENTATIONES
in
vitam ALBERTI animoſi
nuper concinnatae paulo illuſtrantur,
CONRADI SAMVELIS
SCHVRZFLEISCH.
CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XXIX.
LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.

GERMANI prius bello, qvam literis floruere, et poſtqvam his etiam ornare ſe atqve inſtruere coeperunt, non tamen omnes aeqvaliter, nec uno eodemqve tempore inſigne hoc perpetuumqve ingenii decus ſibi compararunt. Priſca enim illa gens, contenta rebus, qvas ratio haudqvaqvam excultisſima praeſcripſerat, fretaqve militarium exercitatione virtutum, longisſime a ſtudiis ſapientiae ſe disiungebat, et multo ante rectis moribus honeſtaqve conſvetudine, qvam legibus utebatur. * Poſtea ſenſim erudita eſt liberalibus artibus, et aeternum praepotenſqve Numen religioſe coluit, atqve ſummum pietatis induſtriaeqve fructum cepit, qvoad in ea doctrina diſciplinaqve ſanctisſima perſeveravit. ** Ea vero laus primo duntaxat ad eos pertinuit, qvi Cis-

* *Tacitus German. cap. 19. idem de Gothis dicitur apud Iſidorum Chron. Goth. Era DIIII.*

** *Irenaeus Polycarpi diſcipulus adverſus haereſes lib. 1. cap 3. a qvo memorantur* αἱ ἐν Γερμανίᾳ ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι (Eccleſiae in Germania conſtitutae.) *Conſentit Tertullianus, primus inter Latinos patres ſcriptor, qvi cum Irenaeo ex II. ſeculo in III. initia ſe porrigit, libro adv. Iudaeos cap. 7. Non ea Germaniae notione, qva magna ſive trans-rhenana, qvae tunc plane barbara fuit, et reconditas literas religionemqve veram ignoravit, comprehenditur, ſed qva figura qvadam loqvendi tantum denotatur Germania Cisrhenana, Romanisqve obnoxia (unde et Germania Romana nominatur, ut a barbara, et qvae trans Rhenum iacet, diſtingvatur) et ad Orientem ſita, propter qvam cauſam ſeqvioribus temporibus coepit appellari regnum Orientale ſive Auſtriae, non eius, qvae Vngaris adhuc barbaris erepta, qvaeqve olim Ducatui Norico clientelaris fuit, Gottfrid. Viterbiens. Chron. part. 17. v. 471. Friſingens. Chron. lib. 6. c. 15. Otto Sanblas. cap. 6. ſed. qvae paulo nomine producta Auſtraſia alias, ac aevo Carolovingico regnum Lotharienſe dicta eſt, Otto Friſing. chr. lib. 6. cap. 1. ex qvo corrigenda eſt genealogia B. Arnulphi, cuius auctor a Lothario imperatore cenſet eſſe dictam. p. 220.*

rhenanas Germaniae oras, qvondam Galliae attributas, et Belgicam I. Rhaetiamqve II. Norico finitimam incoluerunt, et animos ad arma pariter atqve sacra promptos habuerunt. Haud facile qvisqvam dubitat, eorum numero fuisse Maguntiacenses, Argentoratenses, Vangiones, Nemetes, Vbios, Tungros, Treviros, partemqve Alemannorum. *** Serius enim Burgun-

*** *Alemannos, qvos nullo certo loco habitasse auctor est Gaspar Barthius animadv. in Gvil. Brit. lib. 1. 147. Arnobius, cum scriberet contra gentes, affirmavit, institutos esse ad coelestem cultum, non universos atqve singulos, de qvibus id nemo nisi ineptissime dixerit, sed qvi in Galliae Belgicae solo ad sinistram Rheni ripam, ac Danubium inter atqve Lycum habitabant. Qvo tempore Alemannos non desiisse esse Germanos, fidem sane facit Fl. Vopiscus in Proculo. Sed qvo auctore primo Germaniae allatum sit religionis lumen, nunc non inqviro, neqve ignoro tamen, Crescentio et Materno id ferri acceptum, apud Gasp. Bruschium de German. episcopat. Petrum Merssaeum in Archiepiscop. Mog. et Colon. Chronicon Nussiense a principio, Arnoldus Meshovius de orig. et progressu defect. Hermanni Archiep. Colon. De Treviris, apud qvos Imperatorum Graeco-Romanorum domicilium et numaria officina fuit, vid. Ioannes Scheckmannus, atqve ex eo Gvil. Kyriander comment. de Aug. Trevir. part. 3. Cetera antiqvitas, et Germaniae Cisrhenanae Belgicaeqve partitio, et cognitio populorum, qvi illic coluerunt, repetenda est ex Ammiano Marcellino, scriptore cordato, et versato in iis locis,* hist. lib. 15. p. 100. edit. Boxh. *Post qvem Notitia Provinciarum Galliae in lucem exiit, qvam non dubito Hieronymo esse lectam, argumento eruditarum de occupata a barbaris Gallia commentationum, qvarum dum in mentem mihi venit, vel sola nunc sufficiat eius epistola 11. Qvod multum abest, qvo minus de Irenaeo, Episcopo Lugdunensi dicam, cum illo aevo nondum extiterit Notitia, etsi summo viro Iosepho Scaligero videatur, eam iam tum aetate Augusti imperatoris Romanorum fuisse conscriptam. Tantum addo de Argentoratensibus, qvi Germaniae I. finibus includuntur, medio aevo Strazburgenses, corrupte Argentinenses vocari. Vid. Annal. Pithoean. ann. 842. confer itinerarium Antonini, qvod merito laudat Riccioli Geograph. p. 54. (dubitat autem sine causa de eius fide Petrus Divaeus Gall. Belg. T. 1. p. 357-359.) et Notitia paulo ante allegata.*

gundiones, **** poſtqve hos Franci, ac transrhenani omnes ab ea caligine tenebrisqve emerſerunt, et alii poſt alios in unum nomen ſocietatemqve cum populo Chriſti coaluerunt. Burgundionum recordatio eo mihi nunc ſane eſt iucundior, qvod pro ea neceſſitudine, qva Clothildis Francorum genti coniuncta erat, religioni proferendae, qvam poſſet operam navaret, magnopereqve cuperet, et hortaretur Clodovaeum, daret Chriſto nomen, et vera pietate manſvetudineqve imbui ſeſe pateretur. Qvod poſtea ex Clothildis ſententia factum eſt, qvam Clodovaeus expectatione voti, qvo ſe contra

T 3 Aleman-

**** *Paulus Oroſius hiſt. lib. 7. c. 32. A qvo in ratione temporum diſſident Socrates, et ſupplementum hiſtoriae Eutropianae, qvibus adiungatur, Caſſiodorus Chron. in Valentiniano: inter recentiores Ioannes Gabriel Biſciola, ep. annal. Eccleſ. t. 1. p. 482. Sed qvemadmodum Burgundica Clothildis (aliis Chrothildis) ſtuduerit Francos a ſuperſtitione ad verum Dei cultum revocare, praeclare explicavit Gregorius Turonenſis, cuius antiqviſſima editio eſt Aſcenſiana, hiſtor. lib 2. cap. 30. Nam poſtqvam Clothildis, Chilperici Burgundionum regis filia, Clodovaeo cognomine magni illuſtrato, tunc a Chriſtianis ceremoniis alieno, ea lege nupſerat, ut ſua ſibi, ſacra libere exercenda maritus permitteret, cum ſubinde monere coepit atqve obſecrare, uti ſuſciperet partes ac religionem ſuam: cuius moniti dum praelium cum Alemannis commiſſurus opportune recordaretur, in ſummo pugnae diſcrimine rex voto ſe obſtrinxit amplectendae religionis Chriſtianae, ſi proſpere caderet conſilium, victoriamqve obtineret. Qvod cum ipſi veniret uſu, profeſſus eſt ſe Chriſtianum, et voluit ſacro fonte intingi, qvo munere perfunctus eſt Remigius, Remorum Archiepiſcopus, Turonenſis lib. 2. cap. 31. cum qvo conf. Chronicon Carnotenſe anonymi, ex coqve Ioannes Tillius comment. de reb. Gall lib. 1. in Clodovaeo I. Non eſt, ut hic coarguatur fabula, qvam Hincmarus Remenſis aevo Carolingico Archiepiſcopus, aliqvot poſt Remigium ſeculis tradidit, ignotam temporum Merovingicorum ſcriptoribus, ignotam Turonenſi, alioqvi in fabulas proniori, et veris monumentis in ſolidum contrariam: haud dubie affectatione qvadam ſingularis dignitatis, qvae eo pacto Eccleſiae Remenſi acceſſura eſſet, confictam. Conf. Io. Iac. Chifletius diſqviſit. de ampulla Remenſi.*

Alemannos pugnans obligaverat, minime frustratus, prosperum spei praeliiqve exitum comperit, eaqve adeo ipsi causa fuit, cur dignum religione animum profiteretur. A qvo tempore Franci, qvibus Clodovaeus illustre exemplum tradidit, perpetua serie reges Christianos habuerunt, et summo studio pietateqve venerati Deum, sanctissimae possessionem doctrinae constanter retinuerunt. Nisi qvod ea diligentia, regnante Clothario III. obsolevit ferme ac evanuit, cum, regibus in luxum versis, foedi mores incesserent animos, et literas religionemqve foedarent. Donec Carolovingi regnum socordia postratum paene ac perculsum instaurarent, et Saxones, indomitos ante populos, armis mitigarent, et vitam moresqve eorum Christiano ritu fingerent atqve expolirent. ***** Cujus rei memoriam conservant annales, et mutatam in melius

***** *V. annal. Franc. an. 785. annal. Pith. Adelmus Benedictinus an. eodem, Eginhartus de vita Carol. M. cap. 7. Diploma Ecclesiae Osnabrugensi anno DCCCIV. concessum, in qvo primordia Saxoniae politioribus literis excultae intuemur, et prisci commutationem moris aestimamus merito et miramur. Praeterqvam autem qvod serio diligenterqve Graecam Latinamqve lingvas ibi doceri voluit iussitqve, incubuit etiam in ornandam lingvam Germanicam, cuius formae literarum iam antea qvidem extabant, ut legenti historiam Turonensis licet observare, lib. 5. cap. 45. sed opera institutoqve Caroli M. plus nitoris ornamentiqve pro captu eius aevi accessit. Qvod induxit Alcuinum, ut eum Grammaticae doctorem artis appellaret. Conf. Urspergensis, qvi commemorat, inchoasse Grammaticam patrii* (Franco-Tevtonici) *sermonis, qvod ex eo cum aliis repetit Abbas Stadensis. Ceterum diplomata, qvae sermone Tevtonico scripta eius nomine tituloqve circumferuntur, nullum praesidium habent veritatis apud viros antiqvitatis et veteris Franco-Carolingicae reip. intelligentes. Ac primum eorum, qvod verum qvidem atqve incorruptum ego viderim, charactere Germanico exaratum an. MCCXXXII. promulgavit Fridericus II. Imp. qvod recte et instrumento pragmatice, qvod hodieqve superat, convenienter signavit Gothofridus Monachus annal. ad d. an. Ut vero non sit consentaneum, qvod tradidit Ioach. Curaeus, primum huius scripturis Germanicae usum imperante Carolo IV. coepisse,*

coepisse, annal. Siles. pag. 311. Qvanqvam non ignoro, eas tabulas, qvae vulgo matricula imperii nominantur, vix reperiri antiqviores, qvam qvae anno M CCC XXXI. Norimbergae emissae sunt in lucem. Certe enim nec antiqviores perqvirere potuit Melch. Goldastus, de regn. Boh. lib. 2. cap. 17. Nil hic addo de origine et primis sedibus Francorum, de qvibus vid. Trebellius Pollio in duobus Gallienis, post hunc Flavius Vopiscus in Aureliano, Ammianus Marcellinus, Iuliani imp. miles, et Franciae compluris gnarus, lib. 17. qvi prodit, etiam Salios fuisse appellatos, qvod nomen undenam impositum fuerit, valde inter se disceptant scriptores. V. Io. Tilius de reb. Gall. lib. 1. p. 8. Io. Iacob. Chifflatius vind. Hispan. c. 5. Aub. Miraeus annal. Belg. p. 52. Qvod etsi nunc perseqvi mihi non est propositum, tamen colligo ex indubitatis monumentis, primas eorum sedes fuisse in ora inferiori trans-rhenana. V. Procopius Goth. 1. Greg. Turon. l. 2. cap. 31. ubi Clodovaeus dictus est Sicamber, neminem autem fugit, Sicambros coluisse tractum inferiorem transrhenanum, qvod vel Sidonius epigr. ad Maiorian. possit indicare. Affirmat sane Ioannes Trithemius, Francorum reges antiqvitus in Tungrorum (qvos vulgo cum Turingis confundunt) finibus habitasse, compend. annal. pag. 27. Postea autem mutarunt sedes, et Galliam, Romanis eiectis, subegerunt, regionesqve ad superiorem Rheni ripam sitas, ac a Moeno ad Unstrutum porrectas possederunt, indicio natalis Caroli M. qvem diploma Fuldense a Christophoro Brovvero evulgatum, memorat prope Unstrutum fuisse.

Saxoniae faciem veris auctoribus confirmant usqve eo, ut collapsis Carolovingorum rebus, Saxoniae Principes ad libertatem excitati, eandem viam insisterent, et non magis de republica, qvam cultu ingeniorum cogitarent, atqve hunc Albis tractum, qvem etiamnum colimus, Soraborum dominatione oppressum, sua et imperii causa in libertatem vindicarent. Etenim plures qvam septingenti anni iam tum elapsi sunt, qvum Augusti Ottones, ****** orti stirpe VVittekindi Principes,

****** *Helmoldus Chron. Slav. lib. 1. cap. 88.* has terras, *inqvit*, Saxones olim inhabitasse feruntur, tempore scillicet Ottonum, ut videri potest in antiqvis aggeribus, qvi congesti fuerant super ripas Albiae in terra palustri Balsamorum, sed praevalentibus postmodum Slavis, Saxones occisi, et terra a Slavis usqve ad nostra tempora possessa. *Describit*

ſcribit enim terram Albi irrigatam, et a Marchia, quae in ditione Marchionis Alberti Vrſi, Saxoniae auctarium tum [illegible], erat, [illegible] hac porrectam, et colonia Belgica, quae a [illegible] huic oppido [illegible], nobilitatam, ut eodem loco aſſeverat Helmoldus, ſcriptor praeclarus ac diligens, et qvod rei caput eſt, teſtis oculatus. Non aliter [illegible] de Belgarum in has oras profectorum colonia commentati ſunt Ianus Douſa, Nobilis Belga, annal. Holland. lib. 6. p 265. Petrus Bertius Comment. German. lib. 2 c. 12. Ludovicus Perſona patria VVittebergenſis, profeſſione Iuriſconſultus, in oratione de VVittebergа an. 1598. habita, et an. poſt 1603. prelo excuſa, ac Goldaſto cumprimis laudata, quippe qva de antiqvitate oppidi patrii bene eſt meritus, niſi qvod incaute in eadem ſcripſit, Duces Saxoniae atqve Electores VVittebergae inveſtituram (iuris inaugurationem beneficiarii) accipere ab Epiſcopis Bambergenſibus. Non enim ab Henrico II. caſtrum electorale ipſum, qvod dicitur VVitteberga, Epiſcopo Bambergenſi lege beneficiaria obnoxium reddi potuit, cum verae atqve indubitatae eius oppidi origines non ante coeperint, qvam cum Ducibus Aſcaniis, qui Slavos, nominatim Sorabos, qvos intelligit etiam dicto loco Helmoldus, poſt tempora Ottonum, VVitikindeae gentis Imperatorum, inter tractum Albis et Salae rerum potitos, ex his finibus exegerunt atqve deleverunt. Aevo enim Carolingorum, qvo floruit VVidekindus M. neqve Saxonia neqve Soraborum regio urbes habuit, qvod veriſſimis monumentis poteſt demonſtrari, ac in poſterum debet, ut inter hiſtoriam, et leves conjecturas ingenii qve luſus diſcernatur. Cuiusmodi [illegible] apud Pirckheimerum, virum alioqvi doctum, et Matheſium, qui vulgo non impie qvidem, ſed non erudite vicorum [illegible] nomina ex Palaeſtina afferunt, et frigide, cum de hiſtoria agitur, [illegible] exemplum produnt. Illud vero eſt extra omnem controverſiam, nomina Nimeck, Bruck, Iperr, et ſimilia ab advenis Belgis eſſe impoſita, neqve vane docent Perſona, et Balthaſar Mencius in orig. et ſtemmat. Ducum Sax. in Kemberga conſervari hodieqve memoriam Cameraci (Kamerick,) facta, ut ſaepe alias obſervavimus, literarum commutatione. Praeterea vetus Flemingiae nomen, qvod etiamnum in vicinia ſuper eſt, traductam illam ex Belgica coloniam ab oblivione poteſt vindicare. V. Helmoldus d. l. In reliqva huius argumenti parte, qva VVittebergae antiqvitas porrigitur ultra Aſcanios, ingenue Georgius Fabricius, ab incomparabili hiſtorico Caſpare Peucero doctrina rerum Aſcaniarum, in qva ipſe qvidem prae omnibus [illegible] ſcriptoribus excellebat, imbutus confitetur, non conſtare ſibi, a qvo VVitteberga aedificata fuerit, ſcire tamen,

men, ante Friderici Aenobarbi tempora nullo monumento, nullis tabulis, nullo codice commemorari VVittebergam, Saxon. illustr. lib. 9. p. 114. Qvod sane verum est, omnibusqve notum, qvi accuratas historiae rationes tenent, neqve dissimulat Persona, opiniones, qvae in eam rem afferuntur, certis historiae fundamentis non esse innixas. Neqve ad praesidium hujus causae valet Hermannus, qvem allegat Franc. Irenicus Germ. exeg. lib. 12. col. 227. Id vero citra ullam dubitationem ex dictis seqvitur, VVittebergam, qvae aevo Henrici sancti nondum condita fuit, non potuisse iure beneficiario Antistiti Bambergensi devinciri, eo magis, qvod ne tunc qvidem ullus in Germania electoratus fuit, atqve adeo VVitteberga, si maxime etiam tunc fuisset, non potuit esse civitas electoralis. Tum vero officia imperialia, qvae longe post institutis electoratibus accesserunt, non sunt confundenda cum territoriis, propter qvae conveniunt, et in qvibus haerent ipsa ac fundantur. Neqve sum nescius, veris monumentis non posse probari, qvod Electores auspicio Henrici imp. beneficiario officiorum nexu (nam de electoratibus per se res est manifesta) Ecclesiae Bambergensi obligentur.

superiorem Albis provinciam nominis rerumqve gestarum fama impleverunt, et Saxonum velut per coloniam huc missorum habitatione insignem, aggeribusqve validam reddiderunt. Qvorum posteris heredibusqve vita functis, in universo Saxoniae Ducatu successere Billingani: partem enim, qvae cis Albim inferius iacet, et eam, qvae trans Albim ad Eidoram usqve porrigitur, dudum ab Ottone M. Hermannus * eius conditor stirpis acceperat, Princeps belli artibus praeclare cognitus atqve illustratus. Billinganos, qvibus hoc nomen decusqve additum ab Hermanno est, excepit Lotharius II. genere Supplinburgius, beneficio Henrici V. Saliqvorum ultimi no-

* *VVitichind. Corbej. annal. Sax. 1. p. 16. Adamus Bremensis lib. 2. hist. Eccles. cap. 4. qvi eum vehementer laudat, nisi qvod perperam tradit, obscuro loco fuisse natum. Qvod secutus est Abbas Stadensis. Is Luneburgi sedem habuit, arce ibi a se condita celebris, fuitqve in eius ditione Saxonia transalbina, tractus autem VVittebergensis a Sorabis repurgatus cum cetera Saxonia ab Ottone I. Imp. qvi Hermannum creavit Ducem, est retentus, Cranzius Saxon. lib. 4. cap. 16. Ineptiunt autem, qvi arbitrantur, hunc primum fuisse Saxoniae Ducem.*

va dignitate tituloqve auctus, et ob egregia erga ipsum remqve publicam merita Dux Saxoniae inauguratus, qvi postqvam dignitatis augustae particeps est factus, Henricum Catuli filium, stirpe Gvelfum, ** qvem posteritas superbi cognomine distinxit, in ordinem Ducum allegit, et in Saxoniae possessionem misit, ac sancto solenniqve ritu confirmavit. Cuius filius, Leonis nomine passim dictus, *** tantam potentiae fortitudinisqve opinionem sibi conciliavit, ut omnium animos futurorum eventuum expectatione suspensos teneret, imperatoriqve Ænobarbo suspectus post fieret, atqve tam invisus, ut iudicaretur excidisse iure dignitateqve Ducis, et publica proscriptione multaretur. **** Qvibus rebus Saxoniae Ducatum permissu ac beneficio Ænobarbi consecuti sunt Ascanii, et Sorabos, vario contumaciqve ingenio populum, ex terris his cis et trans Albim sitis expulerunt, ac ut auctor est Helmoldus, Belgas a Mosa Rhenoqve accitos, in haec saltuosa irriguaq; loca receperunt, qvi prompti et freqventes adventarunt, terrasqve suas sub id tempus Oceani eluvione mersas cum vicino agro vicisqve proximis commutarunt, et plerisqve nomina, qvae ad hunc usqve diem usu et sermone hominum firmata retinent, imposuerunt. Qvod eo minus praetermittendum fuit, qvia huius laudis navataeqve operae initium ad Albertum Vrsum pertinet, qvi, praeterqvam qvod hanc provinciam, qvam

*** Helmoldus Chr. Slav. lib. 1. cap. 35. Albertus Stadensis an. 1136. Comitatus Nordalbingiae attributus est Adolpho Schovvenburgico, Helmold. eodem lib. cap. 36. Qvo pacto Saxonia inferior cis et transalbina, qvae sub Billinganis iunctae erant, postea sunt divisae.*

**** In historia Henrici Leonis vid. Monachus VVeingartensis de Gvelfis, Gerhardus Praepositus Stederburgensis de Henrico Leone, Reichersbergensis Chr. ab an. 1156. Alb. Cranzius Sax. lib. 6. cap. 10. 35. seq. Historia Anglo-finica Bucelini p. 414. conf. disp. sinente anno 1675. de Henrico Leone habita.*

***** Otto de S. Blasio cap. 24. Arnold. Lub. Chr. Slav. lib. 2. cap. 24.*

qvam Conradi III. Caes. ***** concessione belliqve titulo adeptus fuerat, nova colonia replevit, viam qvoqve ad Saxoniae Ducatum affectabat, qvem primo eius Filius Bernhardus auspicato obtinuit, et sedem atqve domiciliũ in hoc loco collocavit, oppidumqve hoc condidit, et aulae gloria auxit, Princeps gente, animo, factis maximus, et Friderici Aenobarbi socius adiutorqve multis magnisqve rebus clarus atqve celebratus. Anni enim sunt qvadringenti nonaginta quinqve, cum Aenobarbus de communi Principum consilio atqve sententia, in Comitiis Herbipolensibus statueret, Leonis audaciam legibus esse coercendã, et hoc unum ingravescentibus malis atqve publicis turbis remedium fore, ut Leo perduellionis damnaretur, et Baioariae pariter ac Saxoniae Ducatũ privaretur. Qvapropter instructa accusatio est, Leonem fiducia virium elatum, et tot ac tantis Principatibus innixum, non permansisse in Imperatoris fide, et leges iudiciaqve simul contempsisse atqve violasse. Nec profecto plane innoxius Leo fuit, et Aenobarbus eius opprimendi qvaesitam multo ante occasionem libentissime arripuit, cuius acerbitas atqve capitale odium in posteris non inultum fuit. Atqvi vero haec materia crescendi suppeditata est Bernhardo, nepoti Ottonis Ascanii, atqve Eilikes, † filiae Magni, ultimi Billingorum, qvi Saxoniae cum civili imperio praefuerant, Ducis. In qvo curriculo gloriae altiorisqve partae dignitatis ita versatus est Bernhardus, ut neqve deflecteret temere, et maioris accessione honoris, novorumqve rutae insignium, et proprio ac perpetuo officio munereqve Praefecti Praetorio atqve *Archimareschalli*, ut nominant, ornaretur. Qvod non fortuna magis, qvam prudentia consilioqve est consecutus, et sedem hic atqve domicilium primus habuit,

V 2

***** *Helmold. Chr. Slav. l. 1. cap. 54. et supra alleg. cap. 88. Dodechini app. an. 1139.*

† *Abb. Stadens. an. 1137. Meibom. vind. Billing. p. 305.*

buit, et qvicqvid usqvam egregium egregium reperire potuit, huc transtulit, atqve Lovvenburgum Saxoniae transalbinae oppidum, qvod deleverat Leo, a ruinis instauravit qvidem, sed VVittebergam duntaxat nostram aula excoluit, et praecipue amavit, atqve praesentia sua nobilitavit. Eius filius Albertus I. non minori vigore animi res gessit maximas, et eo loco numeroqve fuit, ut Friderico II. Conradoqve III. extinctis, cum res ubiqve spectaret ad motum, et Germania infelici interregno conflictaretur, forti animo sustineret invidiam, et componendae pacis causa primus cum paucis crearet Caesarem, * et

* *Anno MCCXLVI. Henricum Thuringiae Landgravium in illo temporum motu conversioneqve Tevtonicae reipublicae primus elegit cum Archiepiscopis Moguntino, Coloniensi, et Principibus imperii officialibus, qvos signat Alb. Stadensis an. 1240. coll. cum an. 1246. Qvod perperam et praeter rationes synchronismorum Alberto II. Ascanio tribuunt Fabricius in Elect. Sax. p. 16. Balth. Mencius or. Duc. Sax. in eodem. Nam Stadensis, scriptor illorum temporum, eoqve omni exceptione maior, Henricum Landgravium anno 1246. electum, et 1247. extinctum, tradit. Qvo tempore Ducatus erat penes Albertum I. Ascanium primum anno 1260. mortuum, ut consentiunt scriptores rerum Ascaniarum. Electionis autem ad paucos atqve imperii officiales redactae, et una legitimae turbarumque expertis, et post Rudolfi Caesaris diplomate firmatae munus primo administravit Albertus II. vel ideo memorandus, qvod cum ceteris Principibus profanis ius designandi suffragio imperatoris recens adeptus, filiam eius connubio iungendam pacisceretur, ut colligitur ex Alberto Argentinensi Chron. pag. 100.* Eqvidem tradit Alb. Cranzius lib. 9. Sax. cap. 19. neminem inter Duces Saxoniae elegisse (*imperatores*) ante Rudolphum (*Saxo-Ascanium, eius nominis in hac serie I.*) attributam eam dignitatem (*Electoratus* Saxonici) *Qvod multo aliter se habet, certisqve documentis liqvet, Rudolfum Austrio-Habsburgium ab Alberto II.* † *electum fuisse. Testis enim est Albertus Argentinensis, Rudolfi Caesaris electioni interfuisse Ducem Saxoniae. Atqvi is erat Albertus II. qvoniam Rudolfus ne qvidem elegit Guntherum Svvarzburgicum, qvippe qvi ab Erico eius fratrueli electus fuit, Argentin. p. 100. et 150. collat. Neqve certius est, qvod scribit Cranzius ibidem,*

† Vet. Chron. Sax. an. 1273.

dem, Archiepiscopos longo tempore non evocasse Principes seculares. Confer. Conradus Episcopus Chron. pag. 575. Qvanqvam enim fateor, auctoritate praecipua polluisse Archiepiscopos, inprimis Moguntinum et Coloniensem (hunc enim Paris sacri imperii Protocancellarium nominavit) illum vero tanquam Germaniae Archicancellarium, † ratione cuius dignitatis munere convocandi fungitur, atqve eo iam diu ante, qvam electio ad septem Principes redigeretur, functus certe est, auctore Frisingense de gest. Frid. I. cap. 16. Vt non satisfaciat Melchior Goldastus rer Alemann. Tom. 2. part. 1. p. 4. dum existimat, illud Archicancellarii, sive ut antiqvitus dictum est, Archicapellani munus primum per sanctionem Karolinam, sive Auream Bullam Archiepiscopo Moguntino proprium esse factum. Etenim non est simile vero, Archiepiscopos, licet praepollenti auctoritate praeditos, non evocasse imperii officiales, tanquam inter seculares praerogativa officiorum imperii maxime conspicuos. Propterea non ignarus huius rei fuit Pontifex Innocentius IV. cum electionem Caesaream decreto publico, qvod tamen reiectum est, ad septem Principes redacturus, cumprimis Bavarum et Saxonem nominasset, Matthaeus Paris an. 1245. Neqve aliam ob causam improbata est electio Wilhelmi Hollandi, qvam qvod in eius partem non venissent Bavarus et Saxo, qvibus non tam propter Palatinatus (Rhenensem et Saxonicum) qvam propter ducatus Bavariae et Saxoniae ius eligendi primo est acqvisitum, si diploma an. 1275. Augustae 15. Mai. promulgatum veris rationibus atqve argumentis aestimatur. Constat enim utrumqve palatinatum Ducatibus, iam tum iure eligendi praeditis accessisse, eoqve accurate secernendos esse, cum de ultima septemviralis suffragii origine qvaestio instituitur. Verum enimvero pleraqve Alberti II. Ascanii, ad qvem praecipue haec animadversio pertinet, diplomata manuscripta venerunt in manus meas, qvibus et curiae usus, et seculi eius indoles possunt ostendi. Certe diu ante saxum hoc volverat Pontifex, ut Electores sua duntaxat auctoritate arbitrioqve instituerentur: at restiterunt invicta constantia Princi-

 pes,

† Erat illo tempore eruditio exiguis monasteriorum finibus comprehensa atqve conclusa, ut soli Clerici intelligerent literas atqve reipublicae instituta, & idonei sane essent administrandis togae officiis, & fungi duntaxat possent munere Cancellariorum, de qvibus etiam Lotharius I. Imp. sanxit in Capitulari, in curia (*curte*) Olonna promulgato, qvod superiori anno M DC LXXV. a Carolo Dato Florentiae erutum, brevi a Stephano Baluzio, viro in rebus Carolingicis versatissimo, illustrabitur.

ſeqviorum temporum Aſcanios adhuc XV. ſeculo ſtirpi ipſorum fatali, cum titulum ſervaſſe, ut vidi in membranis Rudolfi III. Etſi mortuo VVenceslao Duce atqve Electore, Ducatus ille in ſolidum repetitus, atqve iure belli a Friderico et Henrico Ducibus vindicatus fuit. Bunt. Chr. Brunſ. pag. 263.

tituli auctum uſurpavit, et ius atqve dignitatem Ducatus Luneburgici armis aſſeruit, propterea qvod is a Carolo IV. Imper. Alberto Aſcanio, Ottonis filio, *** nec multo poſt eius patrueli Rudolfo II. fratri uterino VVenceslai, lege beneficiaria impertitus, et ſiqvidem iſte ſine liberis forte decederet, hic in ſuccedendi iure confirmatus fuiſſet. Sed poſteaqvam hic multis caſibus defunctus, et diu multumqve in caſtris verſatus, telo ictus paulo poſt diem obiit, Rudolfum III. atqve Albertum III. magni animi conſiliiqve Principes in Ducatu Saxoniae ac Septemviratu ſucceſſores habuit, ſed illi liberos aut morbus, aut caſus eripuit, huic ſterile matrimonium contigit, demum pari uterqve pompa, alius poſt alium compoſiti hic, cineres atqve oſſa ſua VVittebergae reliqverunt, aut reddiderunt potius atqve dedicarunt. ****
Vix autem Alberto III. parentatum erat, qvum multi Principes ſpes animosqve in Saxoniam convertebant, praecipue Ericus Lauenburgicus obtendebat neceſſitudines, et petendo inſtabat, Caeſarisqve aures obtundebat, neqve ſic tamen voti compos eſt factus, propterea qvod Fridericus bellicoſus, Princeps qvoad vixit, in honeſta imperatoris obſeqvia commodaqve intentus, prenſante Lauenburgico, potior meritorum dignitate eſſet, qvippe qvi bello Huſſitarum impenſas fecerat maximas, et ſuſcepta contra eos expeditione, multis ac difficilibus caſibus iactatus, vitam patriae caritati poſthabuerat, ac propter pericula imperii cauſa adita, cicatrices atqve vulnera ad ſuam ſa-
tis-

*** *Vet. Chron. Sax. p. 347. 369. 376. ex eoqve Chron. Brunſvicenſe H. Bunting. p. 248. 250. conſ. Spalatin. chr. pag. 42. Mencius in Rudolf. II.*

**** *Balth. Mencius ſyntagm. epitaphior. VVitteberg. Perſona in laudata oratione, Georg. Fabr. in El. Sax.*

tisfactionem non valitura esse, per se ipse satis intellexerat, atqve eo monuerat iuxta et petierat, uti imperator et Principes haec aestimarent recte atqve considerarent labores suos, qvum eorum nomine ratio sufficientis satisfactionis constare sibi debeat, hoc duntaxat meritis suis rependerent praemium, qvo apud posteritatem ab aliis, praesertim a Lauenburgico distingveretur. Sed vero etiam magnam pecuniae summam, qvam Fridericus Septemvir Brandeburgicus in rationem induxerat, ex asse reddere, atqve impendia solvere omnia, et sumptibus, qvos ille in conservatione huius castri, donec lis iudicaretur, collocaverat, omnino satisfacere, et provinciam hanc, afflictam alioqvi et temporum conditione miseram, et communi imp. Sigismundi Principumqve decreto sibi iam attributam, novo suscepto onere pacisci ac redimere, priusqvam traderetur, necesse habuit. Qvae dum attingo, et paulo, qvam constitueram, longius perseqvor, possem una, qvod multi et graves scriptores faciunt, a vetustate stirpis atqve ultimarum necessitudinum repetere argumenta, atqve idoneas rationes, qvibus et praerogativam generis, et iuris Friderici commonstrarem, nisi ab hoc proposito alienum esset, atqve alias constaret. ** Nunc enim brevitatem amo, et tantum summa laudum capita consector, nisi qvod ad eius gloriam adiicere debeo, primum fuisse, qvi regionis suae fines Academia ab se condita illustraret, et exemplo doceret, qvanta ex ea commoda ornamentaqve in rempublicam proficiscerentur. Qva famae celebritate cum nomen consecutus esset maximum, tum apud posteros eius recorda-

** *Fontes iuris sunt in diplomate investiturae an. 1425. Budae dato: in rescriptis Sigismundi imp. an. 1434. formula, sive ut dicitur, contestatione ad concilium Basileense an. 1430. Conf. Petrus Albinus Chr. Misn. Balth. Mencius et Wolffgang. Craus in Friderico bellicoso, ubi sunt exempla dicti investiturae diplomatis, Ge. Spalatinus Chr. Sax. p. 35. ex JCTIS Lud. Persona, And. Knichen, novissime Iohannes Strauchius diss. 11. p. 322. seqq. ut non sit, cur iniuriam alleget Alb. Cranzius lib. 9. Sax. cap. 19.*

cordatio valuit, et Fridericum III. Sapientem ſic accendit atqve inflammavit, ut in Saxoniae hoc limite * literarum religionisqve ſedem collocaret, avitaeque imitatione laudis praemia eruditis conſtitueret, atqve Academiam hanc qvaſi campum exercendae induſtriae aperiret. De qvo laudabili inſtituto nil

* *Saxonia primo a Carolo M. ad humanitatem mitigata, atqve in dioeceſes Epiſcoporum diſtributa eſt, poſitis in illuſtri monumentis qvae etiamnum ſuperſunt, et docent, eius auſpicio univerſam illam gentem ad literas et ſacra eſſe excitatam. Eo ſpectant duo capitularia de partibus Saxoniae promulgata, qvibus rem Eccleſiaſticam per Saxoniae provincias ordinavit: nec non diploma ſupra a me commemoratum, qvo ludum Oſnabrugae aperuit, ut conſpectius exemplum eſſet, et Saxonum iuventus ad religionem optimasqve artes informaretur. Ludovicus, paternae aemulus pietatis, Corbeiae ad Viſurgim ornavit Saxonum ſtudia, et inſtituta ibi ſchola propagavit, magno rei literariae bono, propterea qvod priores qvinqve annalium Taciti libri illic reperti fuerint, perituri alioqvi, niſi Monachi Benedictini conſervaſſent. V. Abb. Stadenſ. an. 826. Henr. Meibom. praefat. in Vvitichind. Boxhorn. hiſt. univerſal. pag. 467. Nec tantum iuris Eccleſiaſtici, ſed etiam civilis ac profani cultum accepit, eamqve ob cauſam conventus iuridicus apud Viſurgim monumentis Carolingicis celebratur, qvem ibi Ludovicus II. Imp. habuit, legesqve Saxonum emendavit. Vid. eius decretum an. 850. Poſtea Paderborna ſtudiis dicata eſt, qvae maxime floruit aevo Lotharii II. Hermanno magiſtro, cuius induſtriam praedicat Stadenſis, an. 1133. Nondum vero tunc in Germania ius Iuſtinianeum uſu tractandoqve cognitum fuit, neqve Philoſophia Ariſtotelea in Franciae Saxoniaeqve ſcholis efſloruit. Qvod ut mihi perſvadeam, facit auctoritas Radevici, qvi commemorat, Ottonem Friſingenſem libros Ariſtotelicos in Germaniam intuliſſe, lib. 2. cap. 11. de geſt. Frid. Qvos ſeculo XIII. Henricus Brabantinus, a Thoma Aqvinate rogatus, ex Graeco in Latinum convertit, Ioan. Aventinus lib. 7. annal Boi p. 566. In Miſnia Merſeburgum diu ante Lipſiam enituit, et antiqviſſimum Salluſtii codicem ab iniuria temporum vindicavit, qvem in pergamenis deſcriptum a Georgio Fabricio accepit Ioannes Rivius Attbendorienſis, qvem et ſcriptores alios Romanos Monaſterium Benedictinum conſervavit, qvae magna eius ordinis laus eſt, qvod in barbarie ſuperiorum temporum vetuſtos pariter codices, atqve artium ſtudia, et liberales diſciplinas diligentiſſime cuſtodivit. Dehinc Lipſia doctrinae ſedes facta eſt, eo maiori Miſniae ornamento, qvod anno ſupra milleſimum qvadringenteſimum nono*

domicilium Academiae ibi est collocatum. Sed nondum tunc literae, monachorum sordibus inqvinatae, nativam faciem ostendebant, usqve dum Rodolphus Langius, et Rodolphus Agricola, capaci ingenio Viri, reflorescentes in Italia Graecas Latinasqve literas perciperent penitus, et in Germaniam transferrent. Ii autem anno M CCCC LX. studiorum causa in Italia versati sunt, et postea reduces dissiparunt superiorum temporum barbariem, Germaniamqve novo exemplo illustrarunt. Vid. Gvilielmi Ducis Curlandiae edictum in funere Henrici a Dorgelo, ubi egregia et huc pertinentia traduntur. Dav. Chytraeus Sax. *p.* 80. *Profecto meliores literae cumprimis ex Monasteriensi schola VVestphalorum* * *allatae sunt in Misniam, propterea qvod Iohannes Rivius, qvi ex disciplina Rodolphi Langii in Misniam profectus, magnam ei provinciae laudem, editis passim repurgatisqve scriptoribus, conciliavit. Ante eum nemo in Misnia fuit, qvi aut pares in optimis studiis progressus fecisset, aut plures ac praestantiores doctrinae suae alumnos atqve admiratores habuisset. Qvamvis Philippus Melanchthon summa fama auctoritateqve Vir, et Ioachimus Camerarius fere caliginem ei induxerunt. Recte affirmat Caspar Hofmannus, Virum incomparabili iudicio Melanchthonem studia revocasse ad fontes, et ad methodum Aristotelis facilem expeditamqve viam primo in Saxonia commonstrasse, in Orat. de barbarie imminente. Cuius rei cum voluntas, tum voluntas defuit Monachis, licet otio atqve omnium rerum copia abundantibus, qvos merito pungunt Vlricus Huttenus, vir omnis peritissimus antiqvitatis, et Desiderius Erasmus, satura ipsius praecipue delectatus, ut cum primo legeret, intelligens, valere ad inertiam et pravos mores monachorum coarguendos, vice medici habuerit, apud Iosiam Simlerum in narratione de vita Henrici Bullingeri Verum qvae causa fuerit, cur Melanchthon, qvem Fridericus* Staphylus *vellicat iniqve et carpit, libros Aristotelis reduxerit in scholas, ac eo invitaverit adolescentes et confirmaverit exemplo, sciunt omnes, philosophiam turpi barbarie vitiatam non potuisse aliter instaurari, qvam ut Aristoteles nitore Graecae lingvae, et rerum tractatione ordineqve praestans, et iis libris, ubi vitam, mores remqve publicam fingit, summum apud omnes nomen consecutus, et Platoni ipsi, cum in Academia desiderarentur, laudatus, ad usum pariter meliorem pristinumqve statum revocaretur. Neqve alia mens fuit virorum omnis aevi doctissimorum, Athenaei, qvi πολυμαθέστατον, Ciceronis, qvi Principem Philosophorum nominavit, Caelii lib. 25. cap. 22. Ludovici Vivis lib. 1. de*

tra-

* Vid. Chytr. p. 81 conf. Oratio Lucae Baemeisteri de Luca Losſio, Vrbano Rhegio & Hermanno Tulichio habita.

tradendis disciplinis, Desiderii Erasmi in epistola ad Ioannem Morum, qvi id agnoverunt pariter, atqve testimoniis suis comprobarunt. Ipse Augustinus lib. 8. de civ. Dei cap. 12. praeclare de eo existimavit, et ingenium atqve eloqventiam commendavit, qvanqvam imitatione Ciceronis semper Platonem excipit, non qvia Aristoteles ingenio, et rerum tractatione utilissimarum Platone inferior fuisset, sed qvia is verbis sententiisqve copiosior, ampliorem dicendi materiam sibi suppeditasset. Nemini enim non est perspectum, de Platone, ut refert Vives, dixisse veteres, Iovem, si Graece loqvi vellet, non aliter esse locuturum, qvam Platonem. Haud tamen ita de laude Aristotelis, ac de exqvisita eius scribendi ratione detrahitur: rectus enim purusqve est, praeterea elegans, brevis atqve accuratus, et plane talis, ut philosophum utilia consectantem decet, praesertim ubi docet rhetoricen et civiles disciplinas, qvibus longe vicit Platonem, et meruit, ut nostri superiorisqve seculi sapientes vere meritoqve arbitrarentur, ab Aristotele huius studii, qvod postea usus exercitatioqve adiuvant, primordia esse capienda, et antiqvitatem elegantioresqve literas, qvae omnem aetatem ornant, cum disciplinis bene sapienterqve coniungi, qvod vel Ioannes Caselius, alter Germaniae Melanchthon, cuius et ipse auditor VVittebergae fuit, suo qvemqve exemplo hortari potest. Imo et huius instituti auctorem habeo atqve laudatorem Ioannem Sturmium, virum eruditione meritisqve summum, qvi primus Alsatiae lumen atqve ornamentum attulit, et Ioanni Sleidano populari, et rerum optimarum socio saepe, atqve adiutori scribendae historiae rationes atqve consilium suppeditavit, et doctrina industriaqve sua magnam cum primis laudem Argentorato conciliavit, ut eo ex omnibus terrae partibus confluerent homines, et Graecas Latinasqve literas ex ipso discerent, atqve alio propagarent. Vid. Ioan. Bleydner in vita Sturmii anno MDXCV. Ambergae edita. Cuius cur hic meminerim, vel ea esse mihi causa potest, qvod Ordini qvoqve nostro provisum esse voluit, et ad Fridericum III. Sapientem, Academiae VVitteb. conditorem, atqve literarum in Saxonia [illegible] sue atqve benignissimum instauratorem, de rebus gravibus, et ad [illegible] Academiae huius pertinentibus perscripsit, et non multo post Melanchthonem imitavit valde, atqve in proposito laudabili eum confirmavit. A[illegible]pi veris profecto auctoribus, Melanchthonem dicere solitum, facile sibi [illegible] scribere epistolas ad omnes alios, ad Sturmium autem difficile. V. Bleydner d. l. Qvam laudem neqve ulli alii, nec Erasmo tribuebat, qvem sciebat alioqvi Friderico III. esse percarum, et doctrinae antiqvitatisqve peritissimum, ac nominabat etiam praeceptorem, vid. lib. 5. epist. Erasmi p. 251. optimae et antiqvissimae editionis Frobenian. De cetero qvam diligentiam

adhi-

adhibuerit, cum versaretur hic in emendandis literis, praeclare dudum a viris praestantissimis est consignatum, ac intelligi potest atqve indicari, si stylus Ascaniorum Ducum diplomatumqve, hic et Prettini compositorum, cum facie aevi Friderici sapientis, temporumqve, Melanchthonianorum comparatur. Neqve haec duntaxat superior Saxonia, sed inferior quoqve, eo occidua cumprimis erigebatur in spem ipsius adventus, cuius significationem dabat Hermanno Antistiti Coloniensi, apud Camerar. in vit. eius Lipsiae edit. p. 217. Meliori eius regionis fato, atqve olim fuit, ubi Bruno & Poppo ob sapientiae studium, qvo nullum est neqve utilius neqve dignius, in ius vocati, & rudi aevo iniqve accusati sunt, apud Detmarum Merseburg. lib. 2. p. 26. edit. Maderian. Finio hic, et monito S. Basilii, cuius lectione olim delectabatur Caselius, libenter acqviesco. Καὶ ποιηταῖς, καὶ λογοποιοῖς, καὶ ῥήτορσι, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλειά τις ἔσεσθαι.

mutavere successores, et similem plane voluntatem atqve studium ad ornandam Academiam, amplificandasqve fortunas attulerunt. Cumqve postea bello Smalcaldico, et vehementibus perniciosisqve dissidiis Academiae rationes conturbatae essent, DEUS immortalis afflatu suo excitavit Augustum, qvi et Academiam prope eversam instauraret, et sacra a maioribus emendata conservaret, et pro sua erga patriam charitate provideret, ne corruptelis depravarentur. Neqve eo secius allaboravit IOANNES GEORGIVS I. cuius qvam magnum et memorabile bello tricennali nomen, tam paterna semper propensaqve voluntas erga hanc Academiam fuit, ut qvi oppidum hoc in ruinis iacens, velut de integro firmaret, et vallo aggereqve communiret, atqve hoc studium, hanc diligentiam perpetuo adhiberet, ut tuta literis sedes hic praestaretur, et qvod mirabitur posteritas, republica etiam afflictissima, dignitas huius Academiae conservaretur. Qvem morem exemplumqve a Divo Patre traditum etiamnum servat Potentissimus Princeps Elector IOANNES GEORGIVS II. ac toto animo huc incumbit, et vult iubetqve, ut qvae cum ad animae salutem, tum qvae ad vitam moresqve et veram solidamqve eruditionem pertinent, pro suo qvisqve officio doceant fideliter ac discant, praemia expectaturi, qvorū fructus magnus atqve luculentus est futurus.